91.

·11

CASUS MORALES,

In quibus ea, quæ ad votorum ſimplicium Eſſentiam, Qualitatem, Interpretationem, irritationem, Diſpenſationem, ac Commutationem pertinent, per varias Quæſtiones tractantur.

Pro ſcholaſtico Exercitio ſinguli in Diſputationem producti, & reſoluti.

à

P. JOSEPHO DRESCHER,
Monacho Benedictino, Liberi, & exempti Monaſterij ad S. Lambertum in Styria Profeſſo, SS. Theologiæ Doctore, ejusdémque in Moralibus, in Almâ & Archi-Epiſcopali Univerſitate Salisburgenſi Profeſſore Ordinario.

NUNC PUBLICÆ LUCI EXPOSITI.

Cum Facultate Superiorum.

SALISBURGI,
Ex Typographéo JOANN. BABTISTÆ MAYR' Typographi Aulico - Academici.

fr. Sidd. Vigriensis P.P. Camald

Ad Lectorem.

Cape Lector benevole nucem, in ea Iliadem, votorum simplicium, seu potiùs nucleum, eo anîmo, quo ego simplici voto, (ut prosit) offero. Miscui parumper sales, ad excitandam orexim. Frange, si sapiat, satiat, & favebis; si nauseas, recordare, de gustibus non esse disputandum, & olim fuisse tot sententias, quot capita; hodie in uno capite plures sententias, quàm capita. Dedi autem singulos Casus in Disputationem, tanquam ad Lapidem lydium, ut vel inde valorem acciperent. Addidi Indicem, seu Regalem claviculam, non quia tantillo necessaria; sed, ut quæ forte obscura, fiant Clara; errata, correcta; quæ indirectè insinuata directè exponerentur. Mendas, quæ fortè irrepserint, tuâ benevolentiâ & prudentiâ emenda; vix enim in mundo mundum. Vale.

INDEX ALPHABETICUS,

Nota benè, Punctum Voco, quod est à capite.

A

C

primo, dum illud dabitur, quamquam prius fuerit datum contrarium. pag 52. p. 1.
Conditio de re necessaria habet se, ac si non esset apposita, adeóque votum statim obligat, & est absolutum, dum fit; nisi ly *si* in tali voto significet potiùs tempus executionis pag. 53. p. 1.
Conditio turpis in voto apposita, si se habeat, ut pura Conditio; & non simul sit finis rei per votum promissæ, non invalidat votum, pag 66. p. 1. Nec obest ad valorem voti, si vovens intendat aliunde impleri turpem conditionem, dummodo non votum eò dirigat, ut DEUS turpem conditionem concedat, pag 67. p. 3.
Conditio in voto v.g. Religionis ingrediendæ apposita, *si Pater consenserit*, dum de mente voventis, aut sensu appositæ conditionis aliunde non constat, Adimpletur statim posito primo Patris consensu; nec revocari à Patre potest talis consensus; adeóque licet Pater deinde revocet, nihilominus filius obligabitur juxta probabilem, à pag. 116 p. 4. Probabilius tamen, revocato consensu Patris in tali casu filium non obligari voto, à pag. 119. pag 1.
Conditio, si *Pater consenserit* à filio apposita, nisi contrarium constet, idem significat, ac *si Pater non contradicat*, *non ægrè ferat*, non molestiâ afficiatur, &c. pag. 120, & pag. 121.

viri potest vir, quoad effectus præjudicantes. Irritare. idem est vice versâ de uxore, pag. 221. p. 2. Imò etiam si simplex Licentia data sit. Ibid. In alia sententia potest maritus (sed is solus) directè sine reviviscentia quoad omnes effectus, pag. 222. ad initium. non potest tamen ulla pars conjugum tale votum irritare, si licentiam dedit, & promisit illam non revocare, adeóque juri suo cessit. Ibid.

Castitatis votum mutuo conjugum consensu, & pacto emissum, neutra pars potest validè irritare. Ibid. Rescisso tamen dein (non absque peccato, nisi gravissima causa urgeat) tali pacto, poterunt iterum irritare, ac si nullum fuisset pactum, pag. 228.

Causæ dispensandi, & commutandi, quæ? pag. 228. Pun. 1. usque ad pag. 231. sufficit, quòd causa sit bonâ fide existimata talis à petente, & dispensante, pag. 232. p. 1. Item pag. 233. à p. 3.

Commutari non potest votum reservatum summo Pontifici, nec quidem in simpliciter melius, ab inferiore, regulariter loquendo, pag. 250. p. 1. quandoque verò, pag. 226.

Commutare potest quisque propriâ authoritate suum votum in evidenter æquale sic quidam, pag. 251. à p. 1. Unde non requirunt ad hoc jurisdictionem Ecclesiasticam: Et à fortiori id poterit parochus, vel confessarius, iidem, pag. 252. p. 1.

&c. debet vovens adimplere, quod priùs promisit. pag. 262 p. 1.

Commutatione quâdam legitimè factâ probabiliter non potest vovens pro libitu relinquere materiam subrogatam, & adimplere priùs promissam, pag. 263. p. 2. Maximè, si commutatio fuit facta in melius, vel in æquale, ibid. Sed probabilius tenendum contrarium, à pag. 264 p. 1.

D.

Duæ materiæ voti, si simul incompossibiles, quid faciendum? vide v. materia. ibid. Quando æqualis bonitatis.

Dubium si quæ illarum materiarum simul incompossibilium melior sit, adimplenda est, quæ Primò promissa, pag. 80. p. 3. Dubium si fuerit, an duæ materiæ voto promissæ sint incompossibiles, quid faciendum? pag. 81. p. 1.

Disjunctivum votum propriè tale, factâ de una parte perfectâ electione, illâque factâ impossibili, &c. Non ultra obligat ad quidquam, pag. 146. p. 2.

Aliter dicendum in voto de re indeterminata, & vaga. Item si votum disjunctivum annexum habet tempus, ita ut ultra illud solùm non liceat differre voti executionem, pag. 147. p. 1.

Disjunctivum votum sæpe videtur, dum tantùm est conditionatum, pag. 147. à p. 2. Si

E

F

Finis.

H

ex suo persolvit; potest uti occultâ compensatione, pag. 37. punct. 1.

I

JEjunium Ecclesiasticum, qui violavit, potest deinde illo die sæpiùs comedere, sed non carnes, pag 124. punct 2.

Interpretatio voti in dubio, debet fieri ad modum præcepti Ecclesiastici, pag. 125. p. 1.

Jejunium alicujus diei voto promissum, & per carnium esum violatum non improbabiliter illo die non ultra obligat ad abstinendum à carnibus, à pag. 124. pun 1. Contrarium probabiliùs tenendum, si de contraria voventis mente non constat, unde peccabit toties, quoties carnes comederit, à pag. 129. punct. 1.

Jejunium in pane & aqua voto promissum, ita ut constet, hanc tantùm positivam jejunandi formam fuisse principaliter promissam, non obligat ampliùs, si semel violatum sit, pag. 132. punct. 2. Obligatur adhuc toties quoties ad hanc formam jejunandi; si constet ex mente voventis, abstinentiam ab omni alio cibo & potu fuisse principaliter promissam, pag. 133. Sin autem non constet de mente voventis, talis violatâ illâ jejunandi formâ, vel si ab illa aliunde excusatus sit, tenetur jejunare jejunio Ecclesiastico; & si ab hoc excusatur, vel id violavit; tene-

Irrita-

M.

Mater

Mater nullam habet irritandi potestatem in filium, si ei alijs gubernatoribus provisum sit pag 198. pun. 1.
Mater, si sit tutrix aut curatrix poterit irritare, sicut tutor & curator, ibidem pun. 2.
Mater, quæ nec tutrix, nec curatrix (sed solùm ut mater) potest tamen irritare vota filij impuberis, tempore impubertatis. Idemque de Avia, si mater, vel alij desint, pag. 199. pun. 1.
Mater non potest irritare vota filij puberis, ne quidem realia, nisi sit curatrix, ibidem, à pun. 2.
Mater non habet ullam administrationem bonorum filij puberis, nisi sit curatrix, pag. 199. & pag. 200. item pag. 201. ad finem.
Mater filij impuberis non potest illius vota tempore impubertatis irritare, quâ mater est; sed quâ venit loco patris, aut tutoris, dum filius his vel alijs gubernantibus tempore impubertatis destitutus est, pag. 205. putant tamen quidam matrem, in defectu aliorum gubernantium filium, posse filij vota in impubertate emissa irritare, dum filius est factus pubes, sicut curator, ibidem.
Maritus potest omnia vota uxoris constante matrimonio emissa directè irritare, etiam non præjudicantia, à pag. 208.
Maritum posse vota uxoris constante matrimonio emissa tantùm indirectè, & præjudican-

O.

P.

Pater datâ filio impuberi licentiâ vovendi, poteſt illam revocare, antequam votum emiſſum eſt; non verò poſtquam votum jam impletum eſt, pag. 173. pun. 2. Item eſt de aliis, ſimilem poteſtatem habentibus, pag. 185.

Pater datâ vovendi licentiâ filio impuberi non poteſt votum exinde emiſſum quàmquam nondum adimpletum, irritare juxta quoſdam idem eſt, ſi tale votum abſque licentia factum deinde à patre ſit confirmatum, pag. 174. pun. 1. Contrarium teneo, pag. 175.

Pater, datâ vovendi licentiâ, poteſt irritare vota ſibi præjudicantia, ſive filius illa emiſerit in pubertate, vel impubertate, pag. 181. pu. 2.

Pater, cui adempta eſſet adminiſtratio bonorum filij in pubertate, non poſſet vota ejus etiam realia irritare, minùs tutor, vel curator officio depoſitus, pag. 202.

Parochus ordinariâ poteſtate non poteſt diſpenſare in votis ſuorum ſubditorum, pag. 226. pun. 1.

R

Religioſus vovens aliquid, quod ſine licentia ſuperioris poteſt licitè perficere, ſtatim ad id obligatur, ſi ſuperior non contradicit. Si verò abſque licentia perficere illud non liceat, non ſtatim obligatur voto, usque dum ſuperior poſitivè conſenſerit, pag 53. p. 3.

Religioſus validè, & licitè vovet rem, quam ſine licentia ſuperioris exequi licet, & obliga-

poteſt maritus indirectè irritare, quatenus ei præjudicat, debet tamen ſoluto matrimonio impleri, pag. 219. pun. 1. In alia ſententia poteſt maritus (non tamen uxor mariti votum) directè irritare ſine reviviſcentia, ibid.

Reſervata vota quæ? pag. 226. ad initium. Hæc quamquam ſummo Pontifici reſervata, quandoque à quibusdam diſpenſari poſſunt, ibidem.

Reſervatum non eſt votum disjunctivum, cujus una pars ſolùm reſervata ſummo Pontifici, pag. 234. p. 2. Etiam poſtquam pars non reſervata eſt facta impoſſibilis, pag. 235. p. 1. & 2. Factâ autem liberâ & perfectâ electione materiæ reſervatæ in tali voto, fiet reſervatum, pag. 236. p. 2. Perfecta electio quæ? ibid p. 1.

Reſervatum non eſt votum propriè conditionatum, quamquàm de re aliàs reſervata, pag. 237. p. 1. & 3. Juxta quosdam etiam adimpletâ conditione, pag. 238. p. 3. Si votum ſit purè conditionatum, teneo eſſe reſervatum, adimpletâ conditione, pag. 239. p. 1.

Reſervatum non eſt votum conditionatum pœnale vindicativum, de re aliàs reſervata, etiam poſt commiſſam culpam, pag. 238. p. 2. & 3.

Reſervata non eſt materia, in diſpenſatione, vel commutatione voto reſervato ſubrogata, pag. 244 punct. 1.

S

centia viri approbativa emisso; ibidem. & pag. 185.

Successores horum in eadem potestate, etiam possunt irritare vota, cum licentia præcedentis superioris emissa, ibid.

Superior Religionis potest irritare vota subditi emissa ante professionem, & per eam non extincta ob contrariam voluntatem profitentis, pag. 192. p. 2.

T

TEmpus exequendo voto si sit ita præfixum, ut unâ cum illo expiret obligatio, cessat votum, nec ad aliud obligat; aliter dicendum, si sit tantùm terminus, ultra quem non transferatur executio licitè, à pag. 148. p. 2. & seq. In dubio quomodo interpretandum, pag. 149. à p. 2. & 3.

Tantùm hoc determinatum, qui vovet, si velit excludere, & violare per hoc, ad quod aliunde obligatus est, variè peccare potest, pag. 85. ad initium.

Tantùm hoc vovens, si per hoc nihil excludere velit, non peccat, & valet votum, ibid. p. 1.

Tantùm hoc vovens; si principaliter per ly *tantùm* velit excludere omnia alia pia opera, invalidè vovet, ibid. p. 2.

Tantùm hoc vovens; si intendat indivisibiliter, & per modum unius se obligare, tam ad negationes exclusorum per particulam tantùm, quàm ad id determinatum promissum invali-

dè

verit, ibid. tenetur tamen, si conditio adhuc poni possit, à tali impedimento cessare, ibid.
Violans votum, non tenetur (regulariter loquendo) præter peccatum, ad aliquam compensationem, pag. 51. ad initium.
Votum hujus *tantùm* rei, quomodo interpretandum, vide verbo Tantùm.
Vovens *tantùm* hoc orare v. g. potest variè intelligi, pag. 86. p. 1. & pag. 89. p. 2.
Vovens *tantùm* hoc orare v. g. si intelligat nullum aliud bonum opus, aut orationem perficere, ab hoc, vel nisi hoc, vel quàm hoc, vel præter hoc; sistendo in gemino verborum sensu, non valet votum quo ad negationem aliorum bonorum operum, pag. 89. p. 2. & pag. 90. p. 1. Non valere, etiam quoad rem positivam determinatam, non est improbabile, p. 2.
Valere quoad illam partem, & probabiliùs, pag. 91. p. 2. Sensus præfatorum modorum vovendi, sunt conditionati, pag. 93. p. 2.
Vovens talibus verbis, si directè, & principaliter velit excludere alia pia opera, invalidè vovet, pag. 96. p. 1.
Vovens nullam aliam ingredi Religionem, nisi hanc &c. non orare rosarium, nisi flexis genibus &c. intelligendus est ut supra, ibid. p. 2.
Vovens sub tali verborum forma, si tantùm per particulam *nisi* &c. excludat quid ineptum ad votum, valet, ibid. p. 3.

Vovens

CASUS CONSCIENTIÆ.

EBrio-pius Furfurius nunquam nisi in ebrietate (quemadmodum varijs crapulis variæ sunt qualitates) *pius, ac propè sanctulus, satè novit; se tam in semi: quàm plena ebrietate solitum varia* ex abundantia cordis *edere vota, nihilominus hæc præsciens, quin & intendens se iterum* (fors ut vel sic malè parta ad pias causas applicaret) *inebriavit, & tandem vel cerevisiâ vel vino sanctiores spirante seu* eructationes, *seu* cogitationes, *votum vovit Domino de imposterum servando manus suas ab omni injustitia. Sed ò fallacem hominum mentem! non sat fuit manibus, etiam linguâ infidelem esse oportuit: hinc nescio, an ob læsam ex frequentatis crapulis memoriam voti oblitus, an exhaustâ crume*

menâ, faucibusquè exsiccatis impulsus, pristinam resumpsit artem; tandem infelix, sed mirabilis (qualem se se jactavit) Chimicus, *ex nihilo argentum & aurum facere doctus, templum adijt, ampullamque argenteam non levis ponderis fune exsolvit, ac templo exire paravit, eam* in aliam speciem pro arte & more suo *transmutaturus. Sed hem!* periculum in mora, *ab æditno deprehensus est: hic tamen ut parcens sanguini ex Ebrio-pio faceret Sobrio-pium sic eum allocutus est: fac votum* DEO *de ingredienda Religione, quòd si nolis, sanctè promitto, te tam ob hoc, quàm ob alia jam benè nota furta debito modo per me apud judicem accusandum: fecit minis his territus Ebrio-pius quod petijt æditnus votum: sed & Ebrio-pius non minus* injustè audax, *quàm* justè timidus, *minatus est æditno, se ei, vel* canem, *vel* hircum, *vel* malè-feriatum puerum *ad templum missurum, nisi & is voveat, quod vino imposterum abstinere velit. Emisit ibi coram æditnus votum, nunquam id facturus, nisi his, quamquam levibus, vanè perterritus fuisset.*

CA-

CASUS I.

DE VOTIS.

QUærit Ebrio-pius primò, an votum illud in semi- seu plena ebrietate, tanquam in causa libera factum, valeat?

Videtur, quòd sic, nam juxta communissimam Authorum illa deliberatio est sufficiens ad votum, quæ sufficit ad peccatum mortale, sed deliberatio indirecta, seu in causa sufficit ad peccatum mortale, ergo etiam sufficit ad votum. minor probatur, furtum vel homicidium, & similia, facta in semi- vel plena ebrietate tanquam in causa prævisa, & sic indirectè voluntaria, sunt verè furta vel homicidia ad culpam mortalem (supposità in furto sufficienti materiâ) imputabilia, ergo & votum in tali casu factum, verè erit votum; accedit, quòd juxta communem, item voluntas & deliberatio virtualis, uti & ad alias actiones humanas, sufficiat: sed in præsenti casu est deliberatio virtualis (uti vi-

detur sentire Sanch. & Fill. citandi) ergo in hoc casu erit deliberatio sufficiens, consequenter votum validum, sed ad quæstionem.

Respondendum est negativè cum Sanch. *Lib. 4. in Deca. cap. 1. n. 6. item lib. 1. de Mat. disp. 8. n. 20. & 21.* Fill. *tract. 26. de voto cap. 1. n. 16.* Lay. *lib. 4. tract. 4. cap. 1. n. 4.* Bass. *v. votum. 1. n. 4. & communi.* DD. Rationem ex Sanch. dat Bass. cum quibus coincidit Fill. quia nempe bonum, uti est votum, debet esse ex integra causa, adeóq; obligatio debet in se directè esse volita, & libera formaliter vel virtualiter, uti patet in alijs actibus bonis, sed etiam placet ratio, quam insinuat Lay. nempe quod votum ex sua essentia debeat esse liberum, uti sentiunt cum S. D. omnes DD. & patet ex ipsius definitione, quà dicitur esse promissio DEO deliberatè facta de re ipsi grata.

Ad Argumentum primum in contrarium respondet Sanch. Fill. Bass. ex data ratione, quòd cùm malum, uti est homicidium, possit haberi ex quovis defectu, & aliundè homo obligetur homicidium (uti & quodvis malum) vitare, & consequenter non vitando ejus causas, virtualiter illud velit, non est mirum, quòd volens liberè causam, in qua prævidet malum sibi vitandum

tandum, peccet, & homicidium committat, quod virtute & indirectè in causa, quam non vitat, velle censetur; aliter se res habet in voto, quod evitare non tenemur, adeóque non statim, eo quòd illud vitare quis non curet, vovere censendus est, cùm aliunde bonum debeat esse ex integra causa.

Aliter responderi potest secundò: distinguendo majorem: sufficit eadem libertas secundum id, quod libertas potest esse perfectior & perfectior, seu major & minor concedo majorem; sufficit eadem libertas secundùm id, quod libertas potest esse actualis, virtualis, idque vel in se vel in causa, & sic indirecta, aut etiam purè habitualis, nego majorem, & concessâ minore distinguitur eodem modo consequens. Ad probationem minoris à paritate. Respondeo: disparitatem esse, quòd peccatum v. g. homicidij sit quoad substantiam physicam verum homicidium independenter ab omni voluntate libera, adeóque mirum non sit, quòd id, quod ad substantiam Physicam libertatem non desiderat, possit in esse morali denominari & fieri liberum per antecedentem libertatem in causa, aliter se res habet in voto, eo quòd hoc definiatur juxta omnes, quòd sit promissio DEO deliberatè

facta de re ipsi grata. Ad ultimum respondeo: juxta eosdem Authores voluntarium seu liberum virtualiter in se suffi non verò liberum virtualiter in causa.

Quærit secundò: an votum factum de Religione ingredienda ex metu illo gravi justæ accusationis sit validum? Quod est quærere, an votum factum ex metu gravi ad extorquendum votum, sed justè incussio sit validum?

Videtur esse nullum, primò, quia ratio, cur jure ecclesiastico votum metu gravi injustè ab extrinseco extortum, sit nullum, est defectus sufficientis voluntarij ad votum requisiti, & per talem metum imminuti, sed metus gravis etiam justè ad extorquendum votum incussus, non minùs reddit votum involuntarium, seu imminuit voluntarium, ergò par erit voluntarij defectus, consequenter votum hoc pariter nullum. Secundò; quamquàm minans justam accusationem, vel quid aliud, quod justè minari potest, id possit citra injuriam facere ex fine Justitiam punitivam adimplendi, vel quid simile, injustè tamen minatur ad votum, quod sufficientem petit libertatem, extorquendum, utpotè ad quam extorsionem nullum jus habet, consequenter erit adhuc respectu voti metus injustè incussus; adeóque votum in-

dé

de extortum nullum. Tertiò ſolent probare à paritate matrimonij aliorúmq; contractuum. Hanc Tamb. ex Sanch vocat probabilem, pro qua citant Lud. Lopez. 1. parte Inſtruct. cap. 45. Vega. Manuel. Sed ad Quæſtionem.

Reſpondendum probabilius non eſſe nullum, ſed valere. Sic idem Tamb citans pro ſe Caſtrop. *part. 3. tract. de voto diſp. 1. p. 5. n. 5.* Sanch *lib. 4. c. 3. n. 21. in Decal.* qui pro hac citat Metin. accedit Sà in utraq; editione Vers. votum n. 8. citans Azor; Sylu: Graff. & videtur ſatis clarè inſinuare Fill. Lay. Baſſ. loquentes ſemper de metu gravi injuſtè incuſſo, dum votum irritare dicunt.

Ratio autem reſponſionis eſt, quòd quàndo metus juſtè incutitur v. g. minatur judex debitam delicto pœnam, vel alius juſtam ad Judicem delicti deprehenſi accuſationem, tunc metus non tam ab extrinſeco & his minis incutitur, quàm ab intrinſeco & ipſo delinquente, qui delinquendo ſe liberè conſtituit in tali metu, eſtque tota radix & juſta cauſa timendi intra ipſum delinquentem: Unde id malum minitans non cenſetur inſerre metum, ſed metum jam ex delicto deprehenſo conceptum auferre, offerendo ſub conditione, ſi voveat immu-

nitatem. Sic autem se res habet in posito à nobis casu, ergo votum erit validum, Accedit quòd tali modo metum passo nulla irrogetur injuria, sed potius proponitur cum beneficio sub conditione, non sub coactione votum id, ut malum, quod timet, effugiat, non enim per id malum quis cogi dicitur in quod ipse liberè se constituit.

Ad Argumentum primum in primis respondeo, negando sic simpliciter, & absolutè allatam causalem majoris; sed ratio, cur Ecclesia irritet similia vota, est, quòd metu gravi injustè incusso lædatur voluntarium injustè & cum injuria, ac coactione metum patientis, qualis injuria per metum justè incussum non irrogatur. Cujus ratio est, quòd nullus metus tollat, quantùm est de se, sufficiens voluntarium ad peccatum mortale, consequenter neque ad votum. Ad secundum negatur suppositum, talem metum reverà incuti, utpote qui jam vi delicti prius in vovente præsupponitur.

Quærit tertiò æditŭus an hoc suum votum utpote ex metu levi injustè ab extrinseco incusso factum, sine quo tamen non erat futurum, valeat & obliget in foro Conscientiæ? in quo solo semper versamur. Videtur valere, ita Navar. in summa latina *cap. 22, n. 51. vers.* 7. ubi universim docet, quòd

quòd ad reddendum actum inefficacem coram DEO, sufficiat quilibet timor etiam minor justo, modò sit causa ejus principalis, sine qua non, & hic *cap.* 17. *n.* 30. ubi de restitutione, citat Host. Adrianum, Sotum, aliósque. Et ratio Nav. (ut ipse ait) efficax est, quòd jus distinguens inter metum gravem, & levem nitatur præsumptione, quia præsumit metum gravem esse causam actûs, non verò metum levem, cujus rationem *cit. cap.* 17. *n.* 30. reddit, quòd si leges præsumerent, id etiam de metu levi, atque ex eo pariter daretur actûs rescissio, omnium fermè actuum successu temporis peteretur rescissio, & sic respublica contra intentionem infinitis fermè scateret litibus: quæ tamen præsumptio in foro conscientiæ (cùm certitudo haberi potest, ut etiam in præsenti habetur, levem metum esse causam sine qua non actûs) locum non habet, nec ulla mala in Republica sic timenda sunt: unde tales actus in foro conscientiæ non valebunt. Secunda ratio cui ultimò inniti videtur prior adferri solet à pari, sic metus gravis irritat votum, quia aufert plenam consensûs libertatem, ergo metus levis irritabit, quia quando est causa, sine qua non consensûs, aufert plenam ipsius libertatem. Hanc sententiam Sanch. (quem se-

ſequitur Tamb. hic citans eundem Nav. cit. loco & paſſim alijs locis & tractatibus, vocat probabilem, & magis confirmat ex lib. 4. de matrimonio diſp. 17. n. 2. ubi ex ijsdem argumentis infert probabile eſſe matrimonium metu levi, qui ſit cauſa, ſine qua non actûs, initum, in foro conſcientiæ quandóq; irritari, & confirmat ulterius, ideò in fæmina e. g. ſufficit minor metus, ut is reſpectu talis perſonæ cenſeatur gravis, irritétque matrimonium, quàm ſufficiat in viro conſtanti, quia is metus minor ob perſonæ imbecillitatem eundem effectum habet in tali perſona impediendi libertatem, quem habet gravis in viro conſtanti, ergò ideò etiam ſufficiet metus levis ad irritandum matrimonium ſaltem tunc, quando ex vana appreħenſione patientis metum habet eundem effectum. Tertiò acquiſita ex contractibus metu levi, qui ſit cauſa ſine qua non actûs, ſunt reſtituenda in foro conſcientiæ, ideò, quia tales contractus non fuerunt plenè liberi. Ergo &c. Quas conſequentias omnes ad votum applicandas ait præfatus Sanch. cùm eadem libertas requiratur in voto, quæ requiritur in matrimonio, & idem metus irritet votum, qui matrimonium, ſic ille. ſed ad Quæſtionem.

Reſpondendum eſt, votum hoc metu levi ab

ab extrinſeco exortum, valere & obligare. Ratio eſt primò: illud votum metu extortum valet, & obligat (ſi in cæteris non deficiat) quod non irritatur ab Eccleſia, ſed votum metu levi exortum, etiam dum metus eſt cauſa, ſine qua non voti, ab Eccleſia non irritatur; ergo illud votum valet; minor, de qua eſt controverſia, probatur, quia leges irritantes loquuntur tantùm de metu gravi juſto, ac cadente in conſtantem virum, qualis hic non intervenit. Secunda ratio eſt, illud votum metu exortum valet, quod ſtante tali metu habet ſufficientem libertatem, quam Eccleſia ad illud requirere colligitur, ſed hoc votum, ſtante illo metu levi, habet hanc libertatem, ergo hoc votum valet. minor iterum probatur, quia Eccleſia tantùm dicit illum metum auferre libertatem, & voluntarium ad votum requiſitum, qui ita aufert, ut metum paſſus prudenter, & rationabiliter, ac juſtè timeat, eligâtque rem gravem, qualis eſt votum ad evitandum aliud majus malum; uti patet, dum leges tam in materia voti, quàm matrimonij ſemper loquuntur de metu juſto & cadente in conſtantem virum; metus autem levis non eſt prudens, juſtus, ac rationabilis; nemo enim prudenter agit eligendo majus malum, qualé
eſt

est v. g. votum præ minori malo, quale in præsenti casu est intentatum: Unde cùm hæc votorum irritatio sit ex jure Ecclesiastico, subvenit Ecclesia metum gravem passo, eò quòd fecerit, quod prudenter debuit, eligendo minus malum pro majori, non autem subvenit, ubi metus est levis, quia metum talem passus leviter & imprudenter ad rem tam gravem, ut est votum, motus est. Hanc sententiam tenet Sà tam in genuina, quàm expurgata editione v. metus n. 3. reputans contrariam non tutam, Sanch. *lib.* 4. *in Decal. cap.* 3. *n.* 24. citans pro eâdem Sotum Lud. Lopez Valent. Azor. aliósque. Eundem sequitur Tamb. in terminis. Fill. Lay. Bass. videntur quoq; eandem tenere, dum loquentes de metu irritante votum, semper loquuntur tantùm de metu gravi injustè ad extorquendum votum incusso. Et ulterius à paritate matrimonij probari potest ex Sanch. lib. 4. de Sacr. matrimonij disp. 17. n. 3. Item à paritate professionis religiosæ, quæ non est irrita, si solùm fiat ex metu levi, quod Sanch. expresfè probat ex c. penult. de his quæ vi &c. & c. 1, *eod. tit.* Item ex lege nec timorem 7. *ff. de eo, quod metûs causâ &c.* Ex quibus infertur universim vota metu levi solùm emissa esse valida.

Ad

Ad rationes oppositas respondendum quoad primum, negando, quòd Jus vel Leges in foro externo innitantur præsumptioni adductæ, sed innituntur naturali æquitati, quâ dictatur subveniendum ei, qui constanter & viriliter agit, non autem inconstantibus & levibus: & licet talis metus sit causa, sine qua non factum fuisset votum, non tamen est causa defectûs voluntarij requisiti, de quo disputamus. Unde etiam ad secundum negatur causalis majoris, ita absolutè allata, aliàs enim non valeret votum ex metu gravi ab intrinseco v. g. naufragio factum, item ex tali metu operans excusaretur à mortali, quod tamen non admittitur. Ratio ergò Ecclesiæ est, quòd stante metu gravi prudenter ac justè turbetur, ac timeat metum passus, agâtque rationabiliter eligendo minus malum v. g. votum pro majore e. g. morte, unde etiam huic Jus assistit. Contrarium est in nostro casu. Ad tertium respondeo: distinguendo causalem, quia habet eundem effectum impediendi libertatem ex vana apprehensione nego causalem, quia habet eundem effectum ex gravitate ipsius metûs cum huius generis personis comparati concedo causalem. Unde gravis vel levis metus, cum respectu etiam ad

perso-

personas acceptus, non est mensurandus ex vana apprehensione unius vel alterius, sed quod respectu talium personarum benè ab ijs percepto ac ponderato malo comuniter faciat justè & graviter timere. Ad ultimum respondeo, restitutionem consurgere jure naturæ ex injustitia admissa, unde non est mirum, quòd cùm quis æquè gravem injustitiam committere possit inferendo metum levem, ac inferendo gravem, accepta restituere teneatur.

Ex quibus infertur, seu potius supponitur: Contra Cardinal. Sylvest. aliósque Neotericos, vota etiam simplicia, ex metu gravi injustè ad extorquendum votum incusso emissa, esse invalida & nulla, idque quamquàm vovens etiam tali casu habuerit intentionen sese obligandi.

Ratio est, quòd supra-memoratum c. 1. de his, quæ vi &c. declarando irritam esse professionem fæminæ tali metu emissam, innitatur metui, seu rationem refundat in metum, qui supponitur idem in voto solenni, quàm simplici: & quia tam votum simplex, qnàm solenne est opus consilij, suámque habet perpetuitatem (licet in voto solenni in rarissimo tantùm casu dispensari possit, in voto autem simplici facillimè in talibus circumstantijs) communi DD.

pla-

placito idem textus extenditur etiam ad vota simplicia.

Præterea etsi nec ille Textus sit expressè irritans illam professionem, sed magis supponat propter præfatum metum irritam, nec constet, ubi utriusquè, alteriusvè irritatio scripta habeatur, nec etiam ille Textus expressè loquatur de voto simplici, habetur tamen id traditione omnium fermè DD. & forsan olim scripta fuit, ac littera scripta perijt, observatio perdurat. Sic Sanch. l. 4. in dec. c. 3. n. 12. citans pro hac quàmplurimos DD.

Neque obest, quòd vovens habuerit animum se in tali metu obligandi, quia Ecclesia non irritat illam professionem, & reliqua vota ideò, quòd vovens non habuerit animum se obligandi, tali enim casu ex ipsa rei natura irritum esset votum, cùm obligatio sit de essentia voti; Sed irritat propter metum prædictum, adeóque sicuti matrimonium clandestinum est nullum, ùtùt partes habeant animum sese obligandi, sic etiam votum tali metu emissum ab Ecclesia redditur irritum, ùtùt vovens habeat animum se obligandi.

Neque obest 2. juramentum tali metu extortum esse validum, & solùm per Ecclesiam relaxandum, quia Ecclesia talia juramen-

ramenta; non irritat, uti prædicta vota, quemadmodum communis est DD. opinio.

Resolvit Salisburgi in Benedictina, & Archi-Episcopali Universitate, sub Reverendo, Religioso Patre JOSEPHO DRESCHER, *Monacho Benedictino, ad S. Lambertum in Styria Professo, SS. Theologiæ Doctore, ac p. t. Casuum Conscientiæ Professore Ordinario, Ornat. & Doctissimus Dominus* Mag. THOMAS MAYLISER, *Celsissimi & Reverendissimi Principis Alumnus. 1674. Die 10. Februarij.*

CASUS II.

TRIALOGUS.

Errorillum Sartorem inter, & Ignorantiam Netricem, ac Judicem moralem Theologiam.

ERR. Non te ducam, amata ignorantia, IGNO. cur sic? laboro ignorantiâ. ERR. Votum de Sacra Carthusianorum Religione ingredienda non longè ab hinc edidi. IG. Errorille, fortè (ùt nomen tibi est) erras? rigida est his viris vita, Conversatio humana silentio præteritur, perpetuâ à carnibus abstinentiâ hirsutoquê Cilicio Caro impugnatur. ERR. Unde hæc tibi Ignorantiæ? de silentio equidem scivi, carnibus autem illos vesci, neque ita rigidè, & perpetuo vestiri cilicio adhuc judico, quin nec vovissem, si hæc novissem. IG. ùt totus Error es, mi Errorille, mea hoc Ignorantia novit, te ad nihil obligatum esse, meus eris, quàm juvat quandoque errasse. ERR. ùti video doctrina, non ignorantia mea es tu. IGN. Nunquam (quod Authoribus commune est) audistin', quod error in substantia irritet Votum? ERR. Quid ni, ast error non fuit in substantia, sed so-

solum in accidentibus. Ign. Si error circa substantiam irritat votum, ergo etiam error circa qualitates, aut accidentales circumstantias irritabit votum, præsertim si sit antecedens, & causa voti, uti fuit in tuo Voto. Err. Dignam sanè ignorantiâ fecisses consequentiam, nisi te ultima juvarent verba, ex quibus & spes libertatis affulget. Nam me legisse memini apud *Sanch. de Matr. lib* 10. *disp.* 9. *n.* 15. Item apud *eundem l.* 4. *in Decal. c.* 2. *n.* 18. sequentem Regulam. *vovens non obligatur ultra id, ad quod, si cogitasset tempore emissi voti, voluisset obligari.* Item *Voventem non obligari eo eventu, quem excepisset, si ei dum vovit, occurrisset, vel de quo tunc interrogatus respondisset, mentem suam non esse in eo eventu se obligare, quamvis absolutè voverit, nihil de ijs eventibus cogitans.* Pro his regulis citat idem Sanch. utroque loco quamplurimos Authores, inter quos *Antonin. Sylv. Hostiens. & Navar. in sum. Lat. c.* 18. *n.* 7. *in fine.* Cum quibus regulis etiam illa multorum D D. coincidit, *quod scilicet id liberet à voti obligatione, quod si à principio accidisset, aut notum fuisset, impediret illud fieri.* Ex quibus recentissimè quidam Clarissimus & Consultissimus generaliter attendendum ait, an quis eventu ignorato præcognito vovisset, vel non; si non vovisset, deficit perfecta voluntas in talibus circumstantiis, sive jam illud ignoratum ad objectum promissionis pertineat, sive non. Atque has regulas applicant, quando error
etiam

etiam solùm est in causa merè impulsivâ, vel in circumstantijs solùm accidentalibus, notabiliter tamen rei statum mutantibus, dummodo error det causam voto. Et ego quidem, ne ignores ignorantia, has regulas intelligo eodem modo, sive error hic antecedens sit circa qualitates, ac circumstantias tempore voti, & ab initio non existentes, sive tantùm successu temporis deficientes. Rationes autem harum regularum redduntur. *Primò*: Quia votum, utpotè liberalis promissio, non obligat plus, quàm vovens intenderit se obligare; at in casu similis erroris vovens (sicut & ego) non vult se obligare, ergo. *Secundò*: Sicut in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus. *c. in generali, de R. J. in 6.* ita in promissione ij eventus minimè comprehendentur; quos in speciali cùm his, vel illis circumstantijs præcognitis, exciperet vovens, dum promisit. Neq; etiam hìc valet, quæ his Authoribus opponitur, paritas ab alijs contractibus inter homines, qui non rescinduntur ob difficultates postea emergentes, quibus prævisis non fuissent initi, nam cùm ij fiant inter homines, vix ulla essent firma commercia, admissâ semel hâc doctrina: at quia votum fit Deo, qui perfectissimè noscit voluntatem hominum, non censetur acceptare illud in ijs circumstantijs, quas si prævidissemus, votum non fecissemus, nimis enim durum

est dicere, quòd Deus me obliget ex mea voluntate in illo casu, & circumstantia, ad quam ipse scit, quod voluntas mea se non extenderit. Quod adhuc ex doctrina *Molinæ*, & aliorum confirmant, docentium, voventem jejunium singulis sextis ferijs non teneri, si Natalis Domini in diem Veneris incidat. Accedit quod ulterius dicunt, nisi juxta has regulas procedatur, & Confessarijs, & pœnitentibus plurimas difficultates & scrupulos obventuros; atq; sic homines à meritorio vovendi actu deterrebuntur, pro quo citant *Lay. de Voto c. 3. n 4.* Horum ego DD. authoritati, hisque gravibus rationibus iñitens fixum teneo me à voto liberum, & solutum esse, quî enim fieri poterit, ùt tot Clarissimis ducentibus & docentibus aberrem.

Et quod magis animum levat, mea ignorantia est: ex ijsdem principijs & fundamentis me alio adhuc voto liberatum video, quod è gravi morbo convalescens edidi; scilicet peregrinationem ad magnam gratiarum Matrem Cellensem, ex fine agendi ibidem gratias Deo, Beatæq; Virgini, accedente etiam, tamquam causâ impulsivâ cupiditate colloquendi meo fratri ibidem (quemadmodum rebar) commoranti; quem tamen jam pridem & habijsse, & obijsse nunc constat. Namq; (ut credo percepisti) dicunt, illas regulas etiam ad causas voti merè impulsivas esse applicandas, modò (sicuti ego me tunc temporis ha-

bituali

bitualiter constitutum fuisse firmiter judico) illis non existentibus & sic præcognitis votum nō fuisset emissum. Ign. satis subtiliter hucusq; Errorille, quàm bono omine sartor es tu, acu tangis omnia: etiam mihi, amabo, hodie à consilijs esto.

En Netricem professione me noscis, itaq; furti non vulgaris me (quamquam falsò) insimulavit nonnulla dominarum, inde in carcerem detrusa, atq; in eo meâ ignorantiâ legitimam purgationem non adferente, diutiùs & ad Nauseam detenta, & ipsa coram illa Domina vovi, si carcere liberarer, nunquam nubere, semperq; illi Dominæ servire, quod quidem feci animo verè promittendi, meq; Deo obligandi, quamvis firmum simul habuerim propositum, nunquam exequendi promissum. Ad quid nunc me carcere liberatam obligatam putas? Err. carcere liberata, & voto soluta es. Atque si Errorillo non credas, habeto fidem viro in moralibus celeberrimo *Valentiæ 2, 2, Disp. 6 q. 6. p. 1. Calum. 4. citato à Sanch. & Tamb.* qui clarissimè pro te stat, eandémque, *Less. l. 2. de voto c. 40. dub. 1. n. 7.* ait tenere quosdā viros doctos. Rationem dant, quia nulla res absque sua Essentia esse potest, sed propositum est (uti dicunt) de Essentia voti, ergo sine proposito votum esse non potest. 2. dicunt non posse simul stare verum promittendi, & se obligandi animum, cum proposito rem promissam non exequendi. 3.

Votum est opus bonum, utpotè actus Reli-
gionis: qui autem vovet animo non adim-
plendi rem promissam, non facit opus bonũ,
sed peccatum, ergo tale votum non est ve-
rum votum.

Ign. Verumnè quod ais? Err. Verissi-
mum: Igno. Sed unde tibi horum notitia,
nunquid Norimberga? Err. Esto secura, &
scito ignorantia, duodecim integerrimis an-
nis studiosum egi, ast cùm in quem finem
studerem, aut quomodo reliquum vitæ spa-
tium ope studiorum meorum traducerem,
ne semel quidem somniarem, semper de præ-
senti lætus, nunquam de futuro solicitus stu-
diosum pallio simulaveram, non texeram,
hinc illis annis non plus, quàm linguam La-
tinam (& hanc satis barbaram) edoctus, ut
reliquo vitæ tempore absque stipe, pane quo-
tidiano (equidem & Militem & Monachum
nauseaverat stomachus) frui liceret, opifi-
cium hoc ultimum plurimorum similium
confugium addidici, in quo diebus Festis, ne
cum socijs compotando vel valetudini, vel
marsupio nocerem, quandoquè quædam le-
gere delectat, quare hactenus relata non tam
â me, quàm citatis authoribus tibi dicta su-
scipias velim. Ign. Evax! Juvax! salva res
est. Interim Error ille vale. Error: Tu
quoque ignorantia valeto.

Theol. Mor. State Hirci, Capreæque!
Quo cæcus cæcam? imposterum ut manum

è tabu-

è tabula mea; Neſcitis,uti probè ſenſi,quàm littera lecta, non intellecta,noceat, & tu quidem ita *Erroripſus* es, ut dum rem acu tangere videris, integro, eoque ruſtico aberres pede.

Equidem verum eſt, te ob errorem illum circa perpetuum jejunium, ac cilicium, voto de ingredienda illa Religione non obligari. Aſt non ex rationibus ita abſolutè & ſimpliciter adductis. Ratio autem hujus eſt, quòd error hic antecedens circa tales qualitates, ſeu circumſtantias, redundet in ipſam ſubſtantiam rei promiſſæ, adeóque error ſic cenſeatur circa ipſam rei promiſſæ ſubſtantiam, atque adeo ſicuti error circa ipſam ſubſtantiam irritat votum, quia illa non cognita, non poteſt eſſe voluntaria, & libera, ita error circa ſimiles qualitates, & circumſtantias ſubſtantiales irritabit votum, quia ijs non cognitis cenſetur ignorari ipſa ſubſtantia, & conſequenter non eſſe voluntaria, & libera. Quòd autem præfatæ circumſtantiæ (& conſequenter etiam error circa illas) redundent in ipſam ſubſtantiam, probatur. Illæ circumſtantiæ in præſenti redundant in ipſam ſubſtantiam rei promiſſæ, quæ jam præſentes, jam abſentes ipſum voti objectum, ſeu materiam promiſſam notabiliter mutant, ac prudentum judicio, quaſi in alio moraliter ſtatu conſtituunt, ſed præfatæ circumſtantiæ perpetui Jejunij & Cilicij ignoratæ, ſic notabiliter mutant Religionem Carthuſianorum,

 ergo

ergo præfatæ illæ circumſtantiæ redundant in ſubſtantiam rei promiſſæ. Nam ſicut prudentûm judicio longè alia foret Carthuſianorum Religio, ſi prædictis ignoratis circumſtantijs careret, ita notitia harum circumſtantiarum longè aliam denotat Religionem, quàm ipſe vovens errando circa illas habuerit in mente, & promiſſione. Eſt autem notabilitas hæc, vel gravitas circumſtantiarum penſanda non abſolutè, & ſecundum ſe, ſed cùm ordine ad rem prout intentam, & promiſſam. Unde quando vovens peregrinationem putat diſtantiam eſſe 40. e. g. milliarium, & eſt in re diſtantia 45. milliarium, error circa hæc 5. milliaria non eſt notabilis; ſi verò putet diſtare 5. & diſtantia ſit 10. milliarium, error circa hæc eadem 5. milliaria erit notabilis. Et ùt *Error ille* facilius dijudicare queas, quando error cenſeatur redundare in ſubſtantiam rei promiſſæ; Nota tunc communiter cenſeri errorem circa ſubſtantiam, quando I. eſt circa notabilem rei promiſſæ partem. 2. ſi ſit circa ipſam materiam operis totam. 3. Si erretur circa perſonam, cui res promittitur. 4. cùm erratur circa cauſam formalem. 5. quando erratur circa cauſam propriè finalem, etiam extrinſecam. 6. ſi erretur circa vim, ſeu obligationem voti. Et hæc, ne *Errorillus* erres, eſt ratio, cur voto Religionis ſolutus ſis, ex qua etiam allatæ regulæ, tanquam ex fundamento

damento intelligendæ tibi sunt. Si enim illas regulas & rationes allatas non huc reducamus, aut sic explicemus, sed eo modo, quo tu non sine errore putas.

Sequitur 1. quòd is, qui e. g. voluit ire, & ivit ad quendam locum, non iturus, si hoc, vel illud accidentale prævidisset; Sequitur inquam, quod vel non iverit, vel iverit quidem, sed non voluntariè. Sequitur 2. Licere quidpiam inscio Domino auferre, aut oblatum retinere, vel custodibus licitum esse permittere, àt aliquid Domino auferatur, quoties sciretur licentiam dandam à Domino, si peteretur, quamquam nec actualiter, nec virtualiter Dominus concedat, quod est contra *Navarr. à te cit. c. 17. n. 122.* Sequitur 3. vix ullum valere votum, quia haud ullum erit, in quo non sint, vel ab initio, vel saltem successu temporis aliquæ circumstantiæ, quibus præcog- tis votum non fuisset emissum. Quæ nullatenus admittenda sunt. Unde cum grano, vel certè tibi *Errorillo* cum modio salis intelligendæ sunt adductæ regulæ.

Et quidem primæ duæ regulæ veræ sunt *primò*; quando eventus, seu circumstantiæ ignoratæ non tantùm in virtute aliorum actuum, & habituum ipsius voventis, sed in virtute ipsius actûs vovendi includuntur, atque simul in objecto tunc volito, aut promisso contineantur saltem implicitè, & moraliter.

Quòd si verò, vel solùm in virtute aliorum actuum, vel habituum voventis illæ circumstantiæ ignoratæ contineantur, vel in objecto tunc promisso tantùm materialiter se habeant in ordine ad talem promissionem, Regulæ non subsistunt. In exemplo voveat Petrus eleemosynam Paulo pauperi, hoc votum erit validum, si Paulus verè pauper sit, quamquàm sit fortè fur, quos Petrus omnino aversatur, eique hoc cognito nullatenus quidquam daret: quia nempe hic actus vovendi, necessariò includit, seu præsuponit paupertatem Pauli sublevandam, quæ etiam in Paulo hujus actûs objecto, reverà continetur: & quia circumstantia furis continetur quidem in objecto, scilicet Paulo, sed solùm materialiter, quia nempe non continetur in virtute actûs vovendi eleemosynam, sed ad hunc impertinens est, ideo illa voto non obest, quamquàm contineatur in virtute aliorum actuum, vel habituum. *Secundò* veræ sunt, si res ignorata, juxta superius dicta, sit ita notabilis, ut objectum promissum in alio moraliter statu constituat. Unde patet, non sufficere quamlibet habitualem tantùm voluntatem sese obligandi, vel non obligandi, si hoc, vel illud notum fuisset, sed requiri, vel actualem, vel saltem virtualem; neque satis esse ad eximendum ab obligatione, vel ad obligandum, quòd quis hoc, vel illud fecisset, vel non; si hoc

aut il-

aut illud cognovisset. Nec bonam esse consequentiam, vovens si talem circumstantiam sciret non voveret; ergo dum actu vovit, ejus votum involuntarium fuit. Nam aliud longè est, hominem quidpiam ita velle, ut si nosset aliquam circumstantiam aliter se habere, illud non voluisset, & aliud velle id conditionaliter saltem virtute, scilicet si talis circumstantia adsit, & non aliter; nam in primo, modus voluntatis ferendi in objectum tantùm infert, fore ut noluisset, si circumstantiam aliter se habere novisset, non verò quòd actu, vel virtute nolit, cùm & voluntas virtualis prærequirat cognitionem actualem, vel saltem virtualem rei intentæ. In posteriori autem modo volendi, includitur actu, vel saltem virtute actûs, quo quis non vult, nisi conditio, aut circumstantia subsistat. Ad dignoscendum autem, an sit talis conditionalis voluntas in vovente, vel non; considerandа est 1. ipsa actionis substantia. 2. Finis voventis, quo motus est, circa quæ, si non sit error, non censentur reliqua ignorata tanquam conditio virtute actûs apposita. Quare, uti dictum est, ad inducendam obligationem, vel deobligationem, necessariò debet in vovente esse actus aliquis de præsenti, saltem virtualis, quo quis velit, aut nolit illud ignoratum. Et sicut non sufficienter colligitur esse quidpiam à testatore v. g. vel donatore dispositum, vel do-

donatum ex eo, quòd certissimum sit fore, ut si hoc, vel illud scivissent, ita disposuissent, sed requiritur actus quidam actualis, quo actu, vel saltem virtute testator, vel donator velit de ea re disponere, sic etiam requiritur in voto talis actualis, vel virtualis voluntas, quâ in præsenti casu, si hanc, vel illam circumstantiam nosset, non voveat. Cujus ratio ulterior est, quòd error reddat tantùm illa involuntaria, supra quæ cadit, cùm autem in similibus casibus cadat solùm supra circumstantias accidentarias (uti supponimus, nam si sint substantiales jam dictum est) non autem supra ipsam substantiam, quæ potissimùm in his spectanda est, reddet ad summum illas involuntarias, non autem ipsam substantiam; quare si circumstantiæ illæ sint inseparabiles à substantia, erit tam ipsa substantia, quàm illæ circumstantiæ adimplendæ, quia accessorium sequitur principale, non è contra. Quæ omnia confirmari possunt sic; aliæ circumstantiæ accidentariæ ignoratæ (quibus tamen cognitis votum adhuc fuisset emissum) non sunt causa voti; quia id, quod nullo modo cognoscitur, non potest movere voluntatem ad volendum, vel nolendum; ergo propter eandem rationem circumstantiæ ignoratæ, (quibus cognitis votum non fuisset emissum) non retrahunt à vovendo, seu non reddunt

reddunt votum involuntarium. Ex quibus etiam uti spero, *Error ille* capies, quomodo te allatam tertiam regulam intelligere oporteat. Nam & hæc vera est, si illud impediens voluntatem vovendi, vel sit actualiter, aut virtualiter tale tempore voti, vel si illud impediens teneat se ex parte rei promissæ, eò, quòd sit impossibile, malum indifferens, impediens majus bonum &c. Aliundè quod tantùm impediret actum vovendi, actu non impedit jam factum, quia licet vovens possit suam intentionem alligare ad certam conditionem, vel finem extrinsecum quemcunque, quia tamen actu hoc non fecit, sed tantùm fecisset, nihil impediet voti obligationem. Atque sic etiam tibi intelligenda est illa ultima, & universalissima regula adducta, nempè *unicè attendendum esse, an quis eventu ignorato præcognito vovisset, vel non, si non vovisset, esse liberum à voti obligatione, propter defectum voluntarij.* Hoc enim solùm verum est, si eventus ignoratus actualiter vel virtualiter influat in voluntatem, ut censeatur nolle, aut si transeat in ipsam substantiam rei promissæ juxta dicta. Nam quomodo esse potest defectus voluntarij circa objectum, quod satis cognitum *liberè* fuit assumptum, quamquàm fortè deficiente errore, non fuisset assumptum; factum enim infectum fieri nequit per id, per quod tantùm fuisset non factum, cùm interim factum

sit.

sit. Et sic sentiunt *Sanch. l. 4. in decal. c. 2. n. 5.* vocans hanc difficultatem difficillimam. *Idem l. 10. de Matr. disp. 9. n. 15. Sa v. votum n. 19. Less. l. 2. de voto c. 40. du 2. Lay. l. 4. tr. 4. c. 1. n. 5. Tamb. l. 3 in Decal. c. 13. n. 4. & 5. Fillius, Bassæus, aliique ab his citati.*

Ad argumenta pro te adducta responsio satis liquet ex dictis.

Nunc circa alterum tuum votum, nempe peregrinationis Cellensis, pauca.

Et ne toto cœlo *Errorillus* aberres, scias velim; te hoc voto obligatum manere. Nam præterquam, quod prædicta nonnihil etiam in præsenti probent; Error in causa merè impulsiva non invalidat votum, etsi quis habitualiter ita constitutus fuerit, ut absque illo errore non vovisset; sed in tuo voto, (ut ipse dicis) fuit error tantùm in causa merè impulsiva, ergo non invalidat votum. MA. PROBATUR. Causa merè impulsiva subsistens, & rectè apprehensa, non operatur voluntarium simpliciter, seu non movet ad disponendum vel movendum simpliciter, sed solùm secundùm quid, & secundum promptitudinem; ergo etiam error circa causam merè impulsivam non irritabit, seu anullabit votum simpliciter, sed solùm promptitudinem hoc est, si scivisset causam impulsivam non subsistere non tam promptè vovisset, quod quia præsupponit votum jam secundùm se absolutè factum, non potest illud anullare. Quod ul-

terius

terius confirmatur. Error non reddit irritum votum, nisi in quantùm aufert voluntarium, & consensum; sed error in causa merè impulsiva hunc consensum non aufert, ergo error in causa merè impulsiva non reddit irritum votum. Mi. Probatur, illud non aufert hunc consensũ, quod necessariò præsupponit talem consensum, & determinationem voluntatis quoad substantiam, sed error in causa merè impulsiva talem determinationem voluntatis jam præsupponit; ergo hanc non aufert. Mi. Iterum Probatur: ipsa causa merè impulsiva præsupponit voluntatem jam determinatam quoad substantiam v. gr. voti. ergo & error circa illam.

Tu tandem *ignorantia* (ut paucis tecum) saltem, te voto obligatam non ignores; nubere non licet. Rationem, si capax sis, audi. Sicut enim aliud omninò est ipsa obligatio rem exequendi, & aliud (uti proh dolor experientia docet) executio actualis, ita etiam aliud erit obligatio rem exequendi, & aliud voluntas, aut propositum exequendi. Quare sicut votum valet, & obligat, licet actualiter frangatur, imò nunquam servetur; ita votum valebit, & obligabit, quamquam quis habeat propositum illud nunquàm adimplendi. Et hanc tenent *Navar. in sum. Lat. c. 12. n. 38.* ubi dicit taliter voventem peccare dupliciter, primò vovendo, secundò non adimplendo. *Filliuc. tract. 26. c. 1. n. 7. Sanch. in decal. l. 4. c.*

1. n.

1. n. 23. *Item l. 1. de Matri. disp. 9. à n. 1. Sa. v. votum n. 6. Less. de just. & jure l. 2. c. 40. dub. 1. n. 7. Lay. l. 4. tr. 4. c. 1. n. 2. Tamb. l. 3. in decal. c. 12. §. 1. n. 4. Bassæus v. votum n. 8. & alii passim.*

Pro solutione argumentorum pro te allatorum nota 1. aliud esse propositum se obligandi, aliud rem promissam exequendi, primum est de essentia, secundum non. 2. Sufficere ad valorem voti, ut sit opus bonum ex objecto, nec obesse, quòd vitietur extrinsecè. Atque hæc pro nunc tibi *Errorillo*, & *Ignorantiæ* dicta sufficiant. Dixit. Et ad nos, quid verò vobis videtur, ajebat. Placuit sapere cum sapientibus; Non errare cum errantibus. Ita

Resolvit Salisburgi in benedictina, & Archiepiscopali Universitate, sub Reverendo, Religioso, ac Clarissimo P. Josepho Dreschel *Monacho Benedictino, ad S. Lambertum in Styria professo, SS. Theologiæ Doctore, & p. t. casuum conscientiæ Professore Ordinario; Ornat. & Doctissimus Dominus* Joannes Baptista Laiminger *Celsissimi & Reverendissimi Principis &c. &c. Alumnus. Anno* 1674, *Die* 3. *Martij.*

CASUS III.

PRO - CROESUS, nihil habens, omnia quasi possidens, tunc MAXIMUM habuit NIHIL, dum nihilo minus haberet, scilicet plus debuit, quàm habuit. Sic non suo, sed alieno ære gravis, curis oppressus, morte subitâ (vel, ut ajunt, pelle) omne solvit debitum. Huic ab intestato successit ex asse hæres MALEFAUSTUS; quique non jejunam sperans offam, cum gaudio hæreditatē adijt. Ast, non longa mora; versus est in luctum chorus, nullo confecto inventario, solutis creditoribus, DEBITISque DEO LAUDIBUS, & vix ipsâ sepulturâ defuncti, reperit se somnium somniâsse, de hæreditate nil, nisi vacuum dari doctus. Et quod malorum erat pessimum, hoc ipsum NIHIL permagni constitit, námq; ad plurima vota realia defuncti, ex proprio peculio persolvenda, à magistratu ob non confectum inventarium coactus erat, quæ miser etiā persolvit. Vovit nihilominus & ipse his in miserijs constitutus se 100. in Eleemosynam daturum, si lucrum ex negotiatione vini reportet; quod tamen malè vertit fortuna, cùm potius in alijs etiam bonis damnum passus sit. Inde aut despe-

ratione, aut pauperie motus, votum fec
ingrediendi Religionem, non tamen ab
que aliquali prudentia, & conditione:
Confessarium interrogaverit; secundò,
Confessarius interrogatus liberè hoc Con
lij dederit. Verùm, bona proposita, ac
violenta raro durant, pœnituit voti, qua
omni vi, ac fraude, ut tantùm voto non o
ligetur, Confessarium, ne daret hoc consi
impedire conatus erat. Nihilominus Co
fessarius pro voto servando consilium ded
Vovit itaque religionem, iterum tamen s
conditione, si & ipse morietur. Tandem f
ctùs religiosus post sacram professionem, ja
non MALE-FAUSTUS, sed VERE-FAUSTU
inscijs superioribus vovit singulis diebus r
citare unum Rosarium. Nunc

Quærit MALE-FAUSTUS primò: An
eo, quòd ipse hæres, inventarium non co
fecerat, atque à Judice condemnatus fuer
obligatus sit in conscientia ad vota Iro-Cr
si, ultra vires aditæ hæreditatis ex prop
peculio persolvenda?

Videtur, quod sic. Et quidem suppo
tur cum communissima, hæredem (non qu
dem ex vi voti, aut virtute religionis) om
jure obligari ad vota defuncti realia perso
venda, utpote qui hæreditatem unà cum
mnibus annexis juribus, & oneribus adit,
in personam defuncti succedit, eámque r

præsenta

præſentat. *His præſuppoſitis pro affirmativa opinione*, ratio eſt prima, *ex Palud. 4. d. 38. q. 4. a. 3. n. 33. & D. Anton. citatis à Sanch. infraci- tando*, quod *L. finalis C. de Jure deliberandi* ſtatuat hæredem non conficientem inventarium, teneri ultra vires hæreditatis; hæc autem lex juſta eſt, non innitens præſumptioni; Ergo ſervanda, & quidem etiam in foro conſcientiæ. 2. Licet inniteretur præſumptioni, non tamen ex eo, quod lex cuicunque innitatur præſumptioni, cenſendum eſt illam deſinere obligare in foro conſcientiæ. 3. Quamquam non fuiſſet obligatus vi legis, fuiſſet tamen obligatus ex ſententia Judicis, ſeu Magiſtratûs, cui etiam in foro conſcientiæ obtemperandum. 4. Tandem ratio eſt ab authoritate, & ſimul à pari, docent enim quidam hoc ipſum ex eadem lege circa debita defuncti ſolvenda, inter quos citatur *Covar. Molin: Valaſcus*; Ergo etiam idem tenendum eſt, de votis ſolvendis. Sed

Reſpondendum eſt negativè intelligendo de foro conſcientiæ. Ratio eſt 1. Hæres in tantùm obligatur ad debita, ac vota realia defuncti perſolvenda, in quantùm eſt hæres, & in perſonam defuncti ſuccedit, eámq; repræſentat; aſt non eſt hæres neque ſuccedit in perſonam defuncti, aut eam repræſentat in ſuis proprijs, vel in alienis bonis, ſed ſolùm in bonis defuncti; ergo non obliga-

tur ad debita, aut vota ejusdem realia persolvenda, nisi quoad bona defuncti se extendunt. 2. Hæres tenetur loco personæ defuncti, sed ipse defunctus non tenetur persolvere vota sua ultra id, quod ipse habet, & potest ex suis: ergò neque hæres tenetur ultra id, quod ex hæreditate habet, & ex ea persolvere potest. 3. Lex, quæ innititur falsæ præsumptioni, non obligat in conscientia, sed præfata lex innititur falsi præsumptioni, uti patet; Ergo non obligat in conscientia. Probatur 4. Lex purè pænalis non obligat in conscientia, quod supponimus, sed hæc est lex purè pænalis ergo. & hanc sententiam tenent. *Sanch. l. 4. c. 15. in Decal. n. 36. & 37. Bonacin. Tom. 2. disp. 4. q. 2. p. 5. §. 2. n. 4. Lay. l. 4. Tract. 4. c. 3. n. 3. Bassæus V. votum 3. n. 17. Castro pal. p. 3. tr. 15. disp. 1. p. 16. n. 2. & 4. Tamb. l. 3. c. 12. §. 4. n. 3. aliique* plurimi apud eosdem. Ex his ad argumenta pro affirmativa opinione allata.

Respons. Et quidem ad primum jam satis patet, quia præsumit inventarium non fuisse confectum, ut hæres quædam bona sibi occultare possit. Ad 2. Resp. Legem, quæ præsumit singulare aliquod, seu particulare factum: præsumptione, ob veritatem contrariam, non subsistente, non obligare in

con-

conſcientia, uti docet *Sanch. cit. n.* 37. *Caſtropal. p* 1. *Tract.* 3. *Diſp.* 1. *p.* 14. *à n.* 12. *Lay. l.* 1. *Tr.* 4. *c.* 21. *n.* 4. *alijque*; Sed hæc lex eſt taliter præſumens, uti docent ijdem, ergo.

Reſp. ad 3. Cùm Judex ex lege, ſeu ſecundùm legem debeat ferre ſententiam, ſi hæc propter falſam præſumptionem non obligat in conſcientia, neque ſententia Judicis obligabit, utpote ex lege ſuam vim habens, & ſimiliter falſæ præſumptioni innitẽs, quemadmodum docent omnes præfati Doctores. Si autem ad evitandum ſcandalum publicum obtemperet, poterit uti occultâ compenſatione, ùt docet *Caſtropal. cit. ſuprâ*; quia nec ratione legis, nec debiti naturalis, ſed ad evitandum ſcandalum hoc factum eſt.

Ad 4. Reſp. eſſe pariformiter diſcurrendum, undè ſicut unum negatur, ita & alterum.

Quærit 2. An, quamvis ex prædicta negotiatione lucrum non reportâſſet, (ſicut nec reportavit) habuiſſet tamen ex alijs bonis æquivalens lucrum, obligatus fuiſſet ad illud votum perſolvendum? Quod eſt univerſim quærere, an ad hoc, ut votum conditionatum fiat abſolutum, & abſolutè obliget, ſufficiat conditionem fuiſſe adimpletam æquivalenter, vel debeat eſſe impleta formaliter ſub ſua ſpecie & forma? Et videtur non ſufficere eſſe ſolùm æquivalenter

adimpletam, sed debere esse adimpletam formaliter. Ita censet *Castropal. Tr.* 15. *Disp.* 1. *p.* 17. *n.* 5. & cum illo *Tamb. l.* 3. *cap.* 12. §. *n.* 4. antequam autem id ipsum probetur,

Præsup. primò: Quòd, si constet voventis expressam intentionem fuisse præcisè sub illa numero & forma conditione se obligandi, & non sub alia, illum non obligari, nisi formaliter illa ipsa numero conditio ponatur.

Præsup. 2. Quòd, si constet voventis expressam intentionem fuisse sese obligandi quomodocunq; adimpleta fuerit cõditio, sive in se formaliter, seu in alio æquivalenter, illum obligari, si solùm æquivalenter adimpleta sit conditio.

Præsup. 3. Malefausti intentionem intra vovendum se nec primo, nec secundo modo habuisse; neque etiam ejus intentionem fuisse, sic mediante voto obtinendi divitias, seu lucrum illud speratum; sed simpliciter præfatam conditionem fuisse à Malefausto additam, quia positâ illâ conditione putabat, se commodius, & facilius Eleemosynam elargiri posse; quas ipsas intentiones colligere, aut deprehendere oportet, ex fine movente voventem; nam si in præsenti finis movens, fuisset ipsum lucrum, cujus amore vovisset, & sic ipsa conditio fuisset & finis, aliter foret discurrendum, quàm si finis hujus

fuit

fuit (uti fuisse supponitur) ipsa honestas Eleemosynæ, conditio autem tantùm apposita sit majoris commoditatis gratiâ. His præsuppositis

Ratio pro hac prima parte negativa est primò, quòd Malefaustus in præsenti (& sic quisque alius in simili) non se obligaverit, si quomodocunq; cesset impedimentum, vel commoditas adveniat, sed si cesset eo modo, quo ipse expressit: ast tali modo non cessavit impedimentum, neque commoditas advenerat; ergo non debet se obligatum agnoscere.

2. Conditionem debere adimpleri in sua specifica forma præter communem existimationem: habetur ex *l. qui hæredi* §. 1. & *l. Mævius ff. de conditionibus & demonstrationibus.*

3. Quamquam conditiones, quæ sunt tamquam via, medium, & dispositio ad finem à vovente intentum obtinendum, non sit opus formaliter sub sua specie & forma impleri, uti secundùm *Castrop. cit.* habetur in nonnullis juris dispositionibus, ac præsertim *l. servis C. de Legatis.* & *l. Fidei Commissa.* §. *si cui ita, ff. de Legatis.* quia tamen id solùm est, ex juris dispositione, Votorum autem obligatio non sit ex lege publica, nihil facit ista conditionum distinctio pro præsenti.

4. Non sufficit ad voti obligationem, ut quis se voto obligâsset, si hoc vel illud prævidisset,

diffet, uti à contrario ex dictis patet; ergo pa-
ter non sufficiet ad voti obligationem, licet
malefaustus etiam voviffet, si prævidiffet fo-
re æquivalenter adimplendam conditionem.

5. Quando executioni voti præfigitur certum tempus, eò quòd antea sit impedimentum, licet prius ante adventum præfixi temporis cesset impedimentum, non tamen obligat votum, nisi reverà id ipsum tempus præfixum advenerit; ergo similiter in adjecta præsenti conditione discurrendum erit.

Sed contra respondendum est, valere malefausti votum, & obligare. Ante probationem

Not: primò Conditionem aliam esse, quæ simul sit via, medium, dispositio, vel (ut alii) præambulum ad finem intentum; & sic potiùs finem, & effectum ab homine intentum respicit, quàm se ipsam. Aliam, quæ non se habet tamquam dispositio, medium &c. ad finem, & effectum intentum, & tunc potius se ipsam respicit, factumquè ipsum, non verò aliquid aliud tanquam finem.

Not: secundò conditionem non tantùm ordinatione juris, sed & naturâ ipsâ non rarò se habere tamquam viam, medium, vel dispositionem ad finem intentum; unde non est mirum, quòd sic se habente conditione (quod ipsum satis etiam colligitur ex fine à vovente intento, voventem saltem virtualitèr in ipso fine intento talem etiam conditionem æqui-

valentem ad illum finem, ipsumque effectum ordinâsse) quòd, inquam, loquamur cum Juristis.

Not: tertiò, Conditionem æquipollenter adimpletam, quandoquè posse eodem modo esse viã, ac dispositionẽ ad finem intentum, ita ut ex ea idem omnino sequatur effectus, sicuti ex conditione formaliter posita, quandoquè verò non. His positis nostra Responsio

Probatur 1. Votum conditionatum transit in absolutũ, & absolutè obligat, quando conditio apposita adimpletur juxta intentionem voventis, sed sic in præsenti fuisset adimpleta conditio apposita, si fuisset æquivalenter impleta; ergo absolutè obligasset. Major patet; quia votum simpliciter non obligat aliter; minor prob: quando conditio æquivalenter adimpleta, seu æquivalens adimpletio ex natura sua, & ex voventis intentione ordinata est, tanquam dispositio ad finem, & effectum eundem, à vovente intentum, censetur adimpleta juxta voventis intentionem, sed sic in præsenti casu se habuisset conditio æquivalenter adimpleta ergo. Mi: iterum prob: eò ipso, quòd apposita conditio (scilicet si lucrum ex negotiatione vini reportavero) neque addita fuerit expresè tantùm sub hac forma, nequè quomodocunquè, sed solùm tamquam via, & dispositio ad commodius, & facilius elargiendam Eleemosy-

mosynam, eò inquam ipso censetur vove voluisse saltem virtualiter esse contentus, foret æquivalenter adimpleta, ergo. Quò autem censetur virtualiter voluisse ita es contentus, prob: ulterius ex fine ejusde voventis, gratiâ cujus conditionem appo suit, qui fuit dare Eleemosynam, quia sic commoditatem, facilitatem, ac media ha biturum speravit, ex quo sic formari pote argumentum.

Qui efficaciter vult finem, virtualiter sa tem vult media ad illum; ergò cùm in præ senti efficaciter fuisset finis intentus, nemp commoditas &c. cujus causâ apposita fu conditio, etiam saltem virtualiter sunt in tenta media, sed non minus conditio æqui valenter adimpleta fuisset medium, quàm formaliter adimpleta, ergo (nisi expre fuisset facta exceptio) etiam fuit intenta.

Nec obest, quod expresè tanquã condi tio appositum fuerit illud determinatum lu crum; nam intentio formalis, & expre unius medij non obest, quò minus eade intentio saltem virtualiter se etiam extend ad alia media: hæc autem intentio virtua voventis colligi debet ex natura ipsius con ditionis, & fine voventis.

Prob: vel confir: secundò quia conditi tanquam medium, via, vel dispositio ad fi nem intentum apposita non tam se ipsa

resp

respicit, quàm finem, ad quem est ordinata; ergo nequè est tam propter se, quàm propter finem intenta, ergo non est, quòd debeat in se adimpleri, dummodo adimpleatur in ordine ad habendum finem, præsertim si expressa voventis mens se non alligaverit ad illam tantùm. Quod ulterius confirm: quia primaria intentio in tali casu, non est se alligare ad illam conditionem secundum se formaliter, sed ad assequendum facilius finem; ergo si per æquivalenter adimpletam conditionem idem habeatur est adimpleta etiam conditio voventis, consequenter non erit opus, ut conditio formaliter adimpleatur. Et hanc tenet *Sanch. l.4. c. 23. n. 26.* citans Sarmiento, *Menochium*, *Covar*; aliosque ex quo

Infertur idem dicendum, dum filius vovet Religionem, si Pater mortuus fuerit, vel si Mater vidua, aut soror nupserit, quia putat tunc commodius posse ingredi Religionem, eò quòd credat, Patrem, Matrem, vel Sororem hic, & nunc sua ope egere; Si deinde Pater ad pinguiorem redeat fortunam, vel Mater, aut Soror moriatur, vel Religionem professa fuerit, ut proinde ejus ope non indigeant.

Ad argum: in contrar: adducta Resp: primò ad primum: disting: majorem, malefaustus non se obligavit explicitè & expressè

sè quomodocunquè cessaret impedimentum, vel commoditas adveniat; sed solùm si adveniat, sicut ipse expressit; conc: maj: non se obligavit quomodocunq; cessaret impedimentum, vel cōmoditas adveniat, sed solū sicut ipse expressit virtualiter, & implicitè nego majorem; & similiter distincta minore, negatur consequentia. Nam licet expressè tantùm illud lucrum, pro conditione apposuerat, implicitè tamen, & virtualiter voluit idem esse de aliis modis adimplendi conditionem: uti ex dictis patet.

Ad secundum similiter Resp: sub distinctione conditiones, quæ non sunt via, dispositio, vel medium ad finem intentum, debent in specifica forma adimpleri, juxta citatas leges con:; conditiones, quæ sunt via, dispositio, vel medium ad finem intentum debent in specifica forma adimpleri neg: Nam de his aliæ leges, alitèr loquuntur. Ad tertium Resp: sufficere, quòd similes conditiones, seu conditionum adimpletiones, sint virtualiter intentæ, & ordinatæ â vovente ad finem intentum, cùm intentio volentis se obligare, etiam sit instar legis privatæ. Ad quartum Resp: primò rationem cur obligatus, vel non obligatus fuisset malefaustus, non esse in eo fundatam, quòd vovisset, vel non, si prævidisset conditionem æquivalenter adimplendam; sed quia actu se obligavit, quamquam sub conditio-

ditione, de cujus positione, & positionis intentione in vovente, solùm est controversia. Unde Resp: secundò licet non sufficiat, quòd vovens habitualiter tantùm ita dispositus fuerit, ut voluerit esse obligatus adimpletâ conditione solùm æquivalenter, sufficit tamen, si virtualiter intra vovendum ita dispositus fuit. Ad quintum Resp: iterum ad anteced: sub dist: si tempus adjiciatur cum certa temporis differentia, & determinatione, in qua obliget, & extra quam non obliget, ita ut obligatio sit tempori determinato indivisibiliter annexa, conc; ant: si adjiciatur absque certa differentia, atque determinatione, & sic cum latitudine temporis, ac solùm adjiciatur, tamquam terminus, ultra quem non differatur executio, & quia prius creditur impedimentum, neg: ant: & sub eadem dist: conseq:

Quærit tertiò an obligatus fuerit confessarium interrogare, ut de ingrediendæ Religionis voto consilium caperet, vel an datâ operâ hac quæstione supersedere potuerit? Quod est quærere, an vovens possit licite impedire conditionem à sua libera voluntate pendentem?

Videtur quòd non possit licitè impedire; sed debeat in præsenti casu interrogare. Ratio est primo, quòd is, qui vult votum, censetur velle & media, sed malefaustus voluit votum, & confessarium interrogare est in præ-

præsenti casu medium ad votum, & ad ipsum capiendum à confessario pro voti consilium, ergo ipsum interrogare, censetur malefaustus in præsenti voluisse, & intendisse. Subsumitur, sed debet vovens ponere, quæ intra vovendum ponenda voluit & intendit; ergo debet malefaustus ponere interrogationem, de qua quæritur. Secundo, vovere sub conditione à voventis libertate & voluntate liberè pendente, & nolle illam conditionem implere, esset opus inane & ridiculum; ergo ne inane ac ridiculum sit votum, oportet malefaustum appositam conditionem interrogandi confessarium adimplere. Tertio, cùm adimpletio hujus conditionis sit in libera voventis, seu (in præsenti) malefausti voluntate, censebitur eò ipso adimpleta, ut consulatur voti favori. Sed

Resp: est cum communi, malefaustum (& ita quemvis alium in simili) potuisse liberè, & licite conditionem impedire, seu non ponere, nec obligatum fuisse interrogare confessarium pro consilio. Ita tamquam pro certo tenet Sanch. l. 4. in Decal. c. 23. n. 40. Filliucius tract. 26. c. 5. de voto n. 152: Lay. l. 4. tract. 4. c. 6. n. 2. Castropal. par. 3. t. 15. disp. 1. de voto. pu. 17. n. 6. Tamb. l. 3. c. 12. §. 6. n. 5. aliique ab iisdem cit: Ratio hujus responsionis breviter

est. Quòd vovens aliquid sub conditione â suâmet libera voluntate pendente, censeatur ita vovere, ùt sibi etiam liberum sit ponere illam conditionem, vel non; sed malefaustus in præsenti sic vovit; ergo poterit etiam liberè ponere, vel non ponere conditionem, seu interrogationem. ma. prob: quia vovere sub tali conditione, est conditionem liberæ voluntatis dispositioni committere, ita ùt censeatur nolle obligari, nisi dependenter â libera sua voluntate, quâ pro libitu possit conditionem velle ponere, vel non ponere: ergo. Minor etiam prob: quia supponitur præfatam interrogationem nequè esse aliquâ lege publicà præcepram, nequè privatâ lege per votum sub obligatione positam; ergo illa interrogationis conditio pendet â libera malefausti voluntate.

Ad argumenta in contrarium, Resp: ad primum, quòd eo modò censeantur intenta, & volita media, quo modo est intentus finis, seu in præsenti votum, & consequenter eo modo etiam erunt media ponenda; sed votũ fuit tantùm sub conditione â libera voluntate pendente; ergo & media fuerunt tantùm intenta sub libertate volũtatis ipsius voventis; ergo etiã tantùm pro libertate ponenda. Ad 2. dist: ant: esset inane, & ridiculum, si tempore emissi voti, seu intra vovendum nollet adimplere appositam conditionem etiam liberam transeat ant: quia tunc per duas volun-

tates

tates contrarias simul vellet, & nollet votum: esset inane, & ridiculum, si dein, primò ex postfacto liberè nolit ponere conditionem; negatur ant: & consequentia. Ad tertium dico non fieri contra favorem voti non ponendo liberè conditionem, quia primò votum absolutè nondum est. Secundò eò ipso, quòd valor hujus voti dependeat à libera conditione, poterit illa liberè poni vel non. Tertiò dico non posse prudenter censeri aliquam conditionem adimpletam, si illa neque formaliter, neque virtualiter sit posita; sed potiùs sit liberè posita negatio illius.

Quærit malefaustus quartò an peccaverit sic fraudulenter, & vi impediendo confessarium, ab illo consilio dando? Quod est quærere an licitè quis possit vi, ac fraude impedire positionem conditionis appositæ, & ab alio dependentis, saltem quando positio conditionis nullâ lege prohibita est? Et videtur quòd liceat, & consequenter malefaustum non peccasse saltem contra votum, aut fidelitatem, quia malefaustus taliter vovendo non se obligavit, ad non impediendam conditionem, sed solùm ad exequendum votum positâ conditione; ergo quomodocunque impedierit confessarium â dando consilio, non peccavit saltem contra votum, vel fidelitatem. Sed contra:

Resp.

Respo: est iterum cum communi omnium DD: malefaustum sic saltem indirectè contra votum, & virtutem Religionis, aut contra fidelitatem peccâsse. Sic Sanch: l. 4. c. 23. n. 45. Fill: tract: 26. de voto c. 5. n. 152. Lay: l. 4. tract: 4. c. 6. n. 2. circa finem. Castro: par: 3. tract: 15. disp. 1. p. 17. n. 7. quos sequitur Tamb: cit. n. 6. aliique apud eosdem. Ratio hujus responsionis pariter est omnium communis, quòd nempè malefaustus (& in simili quisque alius) sic vovendo, ut conditionem ponendam in alienam transtulerit voluntatem, voluerit & ipse quoad obligationem dependere ab aliena non à sua voluntate; sed si potuisset dicto modo licitè, & liberè impedire, non ab aliena, sed à sua dependisset libertate; ergo non potuit licitè tali modo impedire. Hinc

Infertur contra Sanch: cit: malefausto licitum fuisse confessario persuadere, ab eo petere, ac rogare, ne consilium daret; his enim omnibus positis confessarius adhuc liberè poterat dare consilium pro, vel contra malefaustum.

Ad argumentum contra datam Responsionem adductum, Resp: disting: ant: non se obligavit ad non impediendam conditionem vi vel fraude, ita ut libera positio conditionis in altero non impediatur nego ant: non se obligavit ad non impediendum alio

modo transseat ante: ; & neg: conseq: Nam eò ipso, quòd vovendo transtulerit conditionis adimpletionem in liberam alterius voluntatem, etiam se obligavit, non impedire alterum à libera positione conditionis eo modo, quo alter deinde conditionem liberè ponere non possit.

Ast hinc nova oriri potest quæstio, an malefaustus vi, ac fraude impediendo confessarium, ùt tantùm non obligetur voto, non tantùm peccaverit, sed etiam ex postfacto voto obligetur, ac si reverâ conditio adimpleta esset?

Resp: quidquid Sanch: cit: cum aliis satis probabiliter pro affirmativa adferat, nobis cum Soar: Tom: 2. l. 4. c. 17. n. 20. Fill. tract: 26. de voto c. 5. n. 158. Lay. cit. n. & Castro: n. 12. Tamb. n. 7. non minus probabile, talem non esse perinde voto obligatum, si conditio ulterius poni non possit (Nam si poni adhuc possit, oportet cessa à violento, ac fraudulento impedimento. Ratio est primò generalis, quia votum conditionatum non obligat absolutè ad executionem, nisi sit adimpleta conditio; quomodocunque fuerit impedita conditio illa vere non fuit impleta; ergo. 2. Si hoc votum deberet obligare, id fieret, vel quia malefaustus sic impediendo peccavit, vel quia conditio adimpleta est; sed neutrum dici po

ci poteſt, non primum, quia peccatum hoc, ſive violatio promiſſionis divinæ (ſi propriè talis dici debeat) non inducit aliquam reſtitutionem, aut compenſationem, ſicut in humanis; unde qui violavit aliquod votum, non tenetur (regulariter loquendo) aliâ vice ſupplere, vel aliquid aliud loco illius præſtare. Non ſecundum, quia reverâ conditio non eſt impleta.

Nequè dicas eſſe virtualiter, ſeu æquivalenter impletam, quia hæc cenſetur in ſimilibus votis fuiſſe voventium mens, quòd cenſeantur velle obligari, ſi per alterum non ſtet, ùt conſulat &c. nam contra eſt, quòd talis mens præſumi non poſſit, ubi expreſſè contraria adeſt, ſicut in præſenti eſt, quòd nolit obligari, ſi illa conditio, ſeu conſilium non fuerit poſitum. Præterea hæc appoſita conditio eſt poſitiva, altera autem conditio præſumpta, nempè in præſenti, ſi per confeſſarium non ſteterit dare conſilium, eſt negativa; unde non debet cenſeri hanc conditionem virtualiter intendiſſe voventem, quando alteram poſitivam appoſuit, utpotè quæ ſunt contrariæ conditiones. Et vel maximè talis intentio præſumi non debet de vovente, dum de illa nil cogitavit, atquè conatur vel maximè impedire conditionem à ſe poſitam.

Nihilominus tenebatur maleſauſtus,

quamdiu adhuc conditio impleri poterat, & res integra erat, abstinere ab illo, illicito modo impediendi, uti patet ex dictis.

Sed quid si confessarius sic impeditus, primò dissuasisset Religionem, deinde cessasset Malefausto malitiosè impedire, consuluisset? Resp: si Malefausti intentio fuit dependere tantùm à primo consilio, tamquam à conditione, non fuisse obligatum ad Religionem positâ dissuasione ejusdem. Sin autem intentio fuit dependere simpliciter à consilio aliquando dando, erit in præsenti casu obligatus; quia sic satis impleta censetur conditio.

Quærit quintò, an ejus votum sub conditione si & ipse morietur obliget? & quando? quod est simpliciter quærere, quando obliget votum sub conditione necessaria. Et videtur obligare primò, quando ponitur conditio, posséque probari sic, votum conditionatum incipit obligare ad executionem primò verificata conditione; sed quando non existit conditio; non est verificata conditio: ergo quando illa conditio non existit, non obligat Votum ad executionem. Major & minor prob: à paritate voti conditionati sub conditione de futuro contingente. Ex quo sequeretur Malefaustum in præsenti vi hujus voti nunquam fore obligatum, cùm post mortem, quæ esset conditio, non possit obligari.

Quæ

Quare Resp: est, votum Malefausti obligasse jam tunc. Ratio est, quia similes conditiones habentur pro completis, cùm jam tunc extiterit conditio, & fuerit absolutè verum, quòd morietur; consequenter jam tunc fuit verificata conditio. Unde in simili voto conditionato solùm attendendum est num Ly *si* ex voventis intentione non significet potiùs *quandò*, seu tempus, quàm conditionem.

Quærit 6. *Benefaustus* an suum votum de recitando rosario obliget? quod est quærere, an vota Religiosi inscio superiore emissa valeant? Saltem quando sunt de rebus, ne quoad modum licentiæ petendæ prohibitis, uti in præsenti est recitatio Rosarij. Ante Resp:

Notandum quasdam Religiosi actiones esse nullatenus prohibitas: quasdam verò esse prohibitas, non quidem secundùm se, sed solùm, ut non fiant sine licentia, primi generis non petunt positivum consensum superioris ad valorem voti, sed sufficit negativus, si nempe non contradicat. Secundi generis autem petunt positivum superioris consensum. His præsuppositis.

Videtur ad quæstionem dicendum, votum Benefausti non fuisse validum, adeoque ad recitationem Rosarij ex hoc voto non obligare. Probari potest primò ex S. Doct. 22:

q: 88. a. 8. ubi in conclu: abſolutè ait, no
poteſt quiſpiam alteri ſubjectus ſe per vo
tum firmiter obligare in his, in quibus a
teri ſubjicitur, ſine ſui ſuperioris conſenſ
ſed, uti idem ibidem ad tertium loquitur
Religioſus ſubditus eſt prælato, etiam qua
tùm ad operationes ſuas, ſecundùm profe
ſionem regulæ; ergo Religioſus non pote
ſe alteri firmiter obligare. Subſumitur: ſe
votum eſt obligatio firma, quà vovens De
obligatur; ergo ſi Religioſus non poteſt ſ
firmiter obligare, non poteſt validè vover

Probari poteſt ſecundò. Religioſi ſubſu
ſuperioribus etiam quoad voluntatem; e
go non poſſunt vovendo ſe obligare; quip
pe nemo poteſt ſe per voluntatem alteri
obligare; aut de illa validè diſponere inſc
Domino. Ad quod idem incidit ratio alio
rum, quòd Religioſus non habeat velle, au
nolle; ergo non poteſt vovere. Prob: 3. e
Cap: Monacho 20. q: 4. ubi ſic dicitur, Mo
nacho non licet vovere ſine conſenſu Abba
tis, ſi autem voverit, frangendum erit.

Similiter adduci poteſt c. Manifeſtum 33
q: 5. cap. noluit eodem Quartò prob: qui
onus Religionis tantum videtur, ùt abſque
periculo prævaricandi, vel etiam transgre
diendi debita Religionis onera, vel abſque
moleſtia prælati, aut fratrum incurrend
non poſſit nova obligatio imponi. Quinto

propter

propter ſimilia pericula Eccleſia ſtatuit, ùt omnia vota præcedentia per profeſſionem Religioſam irritentur; ergo non licebit propriâ authoritate Religioſo ſe cum ſimili periculo novâ obligatione gravare. Atquè hujus ſententiæ ſunt Valent: Hoſtien: Richardus, Paludanus, Major. Angelus, Roſella cit: à Suarez l. 3. de voto c. 5. n. 4. â Leſſ: de voto l. 2. c. 40. dub: 13. n:10. in object: Item â Sanch. l. 4. c. 25. n. 4. & 5. poſſetquè videri probabilis. Sed contra.

Reſp: eſt licitum & validum eſſe Benefauſti votum, atquè omnium aliorum ſimilium in ſimili. Sic Soar: cit: n. 5. Navarr: in ſum. c. 12. n. 67. Sa: V. votum n. 21. Leſſ: cit: Sanch: cit: n. 6. Fill: tom. 26. de Voto. c. 6. â n. 171. Lay. l. 4. t. 4. c. 7. n. 6. Caſtro: tract: 15. diſp. 1. p. 19. â n. 3. Baſſæus V. Votum 3. n. 12. & Tamb: l. 3. c. 12. §. 5. n. 5. dicit eſſe probabile, aliquè quàm plurimi apud eosdem.

Ratio autem reſponſionis eſt primò, ex S. Doct pro ſententia contraria cit. (Si benè legatur, & cum modo cit. Auth. intelligatur) videri etiam poteſt Art. 12. ad ſecundum cit. q. 1. a 8. autem præſertim ad 3. ſolùm dicit, votum Religioſi non eſſe firmum, id eſt, quod poſſit pro libitu Superiorum firmum relinqui, vel irritum reddi, non autem dicit eſſe invalidum aut illicitum, quia cit. a. ad quar-

tum expressè dicit Religiosum non peccare vovendo, & rationem reddit, quia semper intelligitur debita conditio, scilicet si superioribus placuerit, vel non renitantur. Ex quo Filliucius benè infert, ergo etiam valet tale votum Religiosi. Cujus ratio est; partim quia, si esset invalidum eò, quòd absque authoritate superioris, & abutendo propria voluntate, præter Superioris voluntatem fieret, esset etiam illicitum; partim etiam quia non potest esse illicitum, & invalidum, quod omnia requisita habet, uti in præsenti, conditionem subintellectam, si superior non contradixerit, aliunde nullo jure est religioso absolutè vovere prohibitum, uti ex solutione argumentorum patebit; ergo & licitum & validum est ejusmodi votum.

Prob: secundò: Quoties materia voti est licita, & apta, potest aliunde non prohibitus, licitè & validè illam vovere; sed in præsenti est talis materia, & religiosus Bene-factus non est prohibitus vovere; ergo. maj. patet. min. prob. solutione Argumentorum & simul hæc responsio confirmatur. Itaque primò ad rationis in contrarium ex S. Doctore allatæ maj. respondeo, pro majore claritate distinguendo illam, non potest se firmiter obligare sine superioris consensu, semper positivo, nego maj. sine superioris consensu vel positivo, vel negativo, concedo

maj.

maj. ipse enim S. Doctor cit. loco ad quartum videtur inter istos consensus distinguere, dum dicit, similia vota Religiosorum habere subintellectam conditionem, si superioribus placuerit, vel non renitantur. Ad mi. ajo, est subditus Prælato, quoad suæ voluntatis operationes, ita, ut nullatenus possit aliquid velle, vel nolle sine consensu positivo superioris, nego. ita ut non possit firmiter aliquid velle vel nolle, seu vovere, concedo mi. quia ut sit firmum, debet adesse saltem consensus superioris negativus, seu quòd non contradicat. Imo posset totus syllogismus absolutè concedi, intelligendo tamen de obligatione firma, quia verè firmum non est, quod ad libitum alterius infirmari potest. Ad subsumptum dico, votum esse obligationem firmam ab intrinseco, & per se, quod satis est ad salvandam voti substantiam; licet per accidens, & ab extrinseco propter talem dependentiam à superiore, possit esse non firmum. Et sub eadem distinctione, neg. conseq.

Ad secundum resp. illud, religiosum esse subditum quoad voluntatem, seu religiosum non habere velle, & nolle, non esse accipiendum ita simpiciter, & absolutè; sed solùm ne contra vel præter voluntatem sui Prælati faciat, non verò quòd præter illam, aut sine illa nihil possit velle, aliàs enim nec

quidquam posset meritoriè orare, sine licentia positiva Prælati, nec fortè peccare. Unde illud, Religiosum nil posse velle, vel nolle, est solùm intelligendum, quòd nil possit firmiter, modo supra explicato. Ad c. Monacho cit. Resp. primò esse dubiæ authoritatis, nec esse Canonem ullius Pont. aut Concilij, quamquam Navarr. putet esse Concilij Agathensis (in quo Soar. Navarrum erraste putat) imò Less. cit. negat contra Gratianum esse Basilij Magni. Si autem in quodam loco de similibus agit, loquitur asceticè, uti patet ex Soar. cit. loco. in alio verò loco posteriore videtur nobiscum sentire scilicet sub distinctionibus allegatis. Cæterùm quidquid roboris, aut capitis habeat dictum cap. dicimus vel cum Navarr. cit. intelligendum esse, quando vovet de rebus prohibitis, ut fit aut sine licentia, undè etiam additur frangendum esse; vel cum alijs verba illa intelligimus, de extra-ordinario abstinentiæ voto, vel simili, per quod alij scandalizari possunt. Ad alia cap. dicitur, illa tantùm agere, ne quid fiat in præjudicium viri, cui rationi materiæ uxor subjecta est, & sic solùm ibi dicitur, abstinentiæ executionem non posse fieri, nisi vir consenserit. Ad quartum negatur simpliciter assertum; nam possum rem aliàs præceptam vovere, & sic novo titulo implere; ergo etiam rem non prohibitam

tam

tam vovere, & exequi, dum nulla adest prohibitio, vel regulæ impedimentum. Et si causalis vera est, nec superior poterit prudenter licentiam dare, ùt Religiosus voveat in licita, aliàs materia, quod tamen falsum est. Ad quintum negatur causalis; Sed ratio est, ipsa summa perfectio statûs religiosi, in quo quasi absorbentur, & submerguntur omnia vota præcedentia; atque virtualiter saltem & voventes, & superiores propter hanc excellentiam censentur præcedentia vota commutare in melius: vel tandem hujus ratio est, mors spiritualis ipsius Religiosi per professionem.

Quærit tandem, an valeat votum emissum, de jejunando in die Paschatis?

Et videtur non valere, quia est de materia illicita; nam 1. ille hoc jejunio more quorundam usus est, ùt à febribus præservetur. 2. Jejunium diebus Dominicis (præsertim ordinariè, vel in sola Dominica, non item alijs diebus fieri solitum) plerique Auth. docent esse superstitiosum, vel per cultum falsum, vel per cultum superfluum, &c. 3. Sapit hoc jejunium singularitatem contra communem Ecclesiæ morem. 4. Videtur esse scandalosum, quia Manichæi in contemptum Resurrectionis Dominicæ, diebus Dominicis jejunare consueverunt. Quæ omnia à potiori locum habent in die Paschatis.

Atq;

Atq; ſic de diebus Dominicis ſentire videtur *S.Th.* 22. *q.* 147. *a.* 5. *ad* 3. *Caiet.* 22. *q.* 93. *a.* 1. *Navarr. cit. à Sanch.* Accedit, quòd Jejunium diebus Domiuicis ſit interdictum. *c. ſi quis tamquam, & c. ſi quis Presbyter diſt.* 30. *c. ne quis jejunet, & c. jejunium diſt.* 3. *de Conſecratione.* Sed

Reſpondendum eſt, valere prædictum votum (quamquam id non conſulerem) ijs præſertim locis, ubi de Manichæorum hæreſi parva, aut nulla notitia viget, & ſic nullum ſcandali, aut contemptûs Catholicæ Religionis prudens periculum ſubeſt. Ratio reſponſionis eſt, quia jejunium eſt materia de ſe omninò licita, & conſequenter voto apta. Quòd autem etiam in die Paſchatis ſit licitum, & honeſtum, probatur ſolutione argumentoruum. Et quidem circa primum ſupponitur, Bene fauſtum ſolùm voluiſſe DEO offerre jejunium illud tamquam difficilius, ut ejus intuitu illum pro ſua Benignitate à febribus præſervare dignetur. Ad 2. ℟. Illos auth. intelligendos eſſe de jejunijs ibidem ſpecificatis, vel quæ fiunt ex errore Manichæorum, aut cum ſcandalo, contemptu, aut ſingularitatis ſtudio, & ad inducendum novum ritum in Eccleſiam, quæ omnia in præſenti voto nullum habuiſſe locum, patet ex ℟. ad primum. Circa 3. Dico ſapere ſingularitatem materialem, non for-

formalem, & vitiosam, esseque non tam contra, quàm præter Ecclesiæ morem. Ad 4. Jam dictum est. Ad S. Th. ajo, illum intelligendum esse de jejunijs, in Responsione ad 2. allatis. Pariter allata cap. & textus Juris solùm sunt propter Manichæorum reprimendam hæresim, quæ causa cum modò his in partibus cesset, licitum erit jejunium die quodam Dominico, ac etiam die Paschatis modo hactenus dicto. Atque de die Dominica sic sentiunt *Sanch. l. 2. c. 37. n. 12. & 16. cit. quàm plurimos*, less. l. 4. c. 2. d. 9. n. 68. Lay. l. 4. t. 8. c. 2. n. 9. Castropal. de Superstit. Disp. 1. p. 1. n. 6. alijque.

Resolvit Salisburgi in Celeberrima, Benedictina, & Archi-Episcopali Universitate, sub Reverendo, Religioso, ac Clarissimo Patre JOSEPHO DRESCHER, *Monacho Benedictino, ad S. Lambertum iu Styria Professo, SS. Theologiæ Doctore, ac p. t. Casuum Conscientiæ Professore Ordinario, Ornat. & Doctissimus Dominus* Mag: SIMON FABER, *Celsissimi & Reverendissimi Principis Alumnus 1674. Die 7. Aprilis.*

CASUS IV.

LUDI-Lusus quémque suæ fortunæ fabrum, non nescius, firmam sibi fortunam aleis non malleis, foliis non follibus fabricare tentaverat; unde & votum fecerat sub conditione, si injustum, adeóque restituendum ex lusu lucrum reportaverit, dandi eleemosynam. Sed non ad votum cessit hoc votum. Quandóque in fundo quærens fortunam, suo loco reperit veritatem; nempe se aleis alijs fabricâsse fortunam, eandémque, si quæ sit, instabilem unâ cum folio quasi vento rapi, meliúsque fortuuam quæri folio in scholis scripto, quàm picto. Hinc millies incusatam fortunam callidam, ad aliam traxerat incudem, firmioribus cudendam ictibus, nam defecêre jactus. Votum scilicet vovit pœnale, si luserit, jejunandi in pane & aqua; ast hæc virtus ex necessitate erat, ideò non duratura: pecunia, non animus ludendi defuit; jamque lusus erat usus, consuetudo natura; hanc cùm exuere non posset, ludendo exuit honores, sapientiam, mores, verbo totum hominem. Miser à capite perdidit pileum, & pal-

lium, quo olim occultaret, palliaret miseriam. Itaque se jam omnibus bonis satis denudatum, licuit in cute nosse. Miratus infortunium, præter miseriam nil reperit: ratus malorum fortè causam esse votum pœnale quondam emissum, de non ludendo, si missam prius eo die non audièrit; Cùm tamen sæpiùs (quamquam ex invincibili voti oblivione) non solùm non auditâ missâ, sed & nullâ factâ cruce diem lusu, quo desierat, ordiebatur. Hæc inter ruminantem Ludi-Lusum convenerant casu Ludo-Fixus & Ludi-Lumpus suadentes, mitteret in exilium melancholiam, affirmantésque, & se olim faciles fuisse in promendis votis. nam alter horum quodam tempore emisit votum, singulis diebus Sabbatinis peregrinandi ad certum unius diei locum; immemor autem hujus voti, aliâ die vovit, se in vigilia S. Benedicti cum jejunio in pane & aquâ servitiorum infirmis civici Xenodochij. Alio autem tempore ajebat, se votum fecisse abstinendi à vino & cerevisia, in vigilijs S. Felicis, & S. Felicitatis, solùm ex fine, ut omni lusu lucretur, sive justâ, sive injustâ dexteritate. Tandem ut votis finem imponeret, fassus est, se votum fecisse, quòd tantùm velit certum quid orare: Atque hoc se utcunque servare, alia

autem contemnere jactaverat LUDOVIXUS, ut vel sic socium lucri faceret, vel hocce ludo perderet.

Quæritur primò; An votum illud sub conditione injusti lucri; & sic quodlibet aliud votum sub turpi conditione de futuro factum valeat?

Videtur non valere. Quia uti *Abulensis*, *Sotus*, ajunt. Nemo sic vovet, nisi Deum sui sceleris, seu turpis conditionis patronum interpellet: vovere autem, ut Deus hujus voti intuitu Patronus mali sit, seu ut malum concedat, est non tantùm illicitum, sed & invalidum: ergò.

Secundò licet eleemosyna de se bona sit, est tamen mala, ut est promissa, tanquam medium ad turpem conditionem obtinendam.

Accedit *Sylvester V. votum*, qui ait, tale votum non valere, si vovens velit impleri conditionem (quod quidem in similibus casibus regulariter contingit) quia tunc ordinatur res voto promissa ad malum finem obtinendum à Deo, quod votum invalidum reddere jam dictum est. Sin autem

nolit conditionem impleri, validum fore, votum ait, quia ordinatur in pœnam.

Sed contra dicendum est, valere hoc votum factum sub conditione turpi, tanquam sub purâ conditione. & quidem

Supponitur primò, non dirigi votum ad malam illam conditionem impetrandam à DEO.

Secundò illam conditionem nullo modo causaliter influere in votum factum, seu rem promissam, adeóque non habere simul rationem Finis.

His præsuppositis. Ratio responsionis est, quòd illud, quod directè in hoc, vel simili voto promittitur, sit materia honesta, bona, & apta voto, & aliunde nihil ex essentialibus requisitis ad votum desit, neque conditio turpis sub ratione puræ conditionis influat, ac vitiet rem bonam promissam; Sed solùm facit, ut vovens non obligetur absolutè, sed solùm post talem eventum. Sic *Sanchez in decalogum L. 4. c. 6. n. 17. Filli. tract. 26. c. 2. de voto. n. 56. Lessius lib. 2. c. 40. de voto. Dub. 7. n. 37. Laym. lib. 4. tract. 4. c. 2. n. 7. Castropal. tract 15. de voto disp. 1. p. 17. n. 1. ad finem. Bassæus. verbo votum. 2. n. 10. Tamburi-*

nus lib. 3. in Decal. c. 15. §. 2. n. 6. aliiq; apud Sanch.

Ad Argumenta in contrarium adducta. ℟. Ad primum, verum quidem esse, regulariter loquendo, rarò similia vota. (nisi mens voventis sit expresſè contraria) fieri, quin Deus quasi in Patronum, & adjutorem, saltem implicitè invocetur, ad turpem conditionem obtinendam; & sic conditionem malam in similibus votis, communiter habere etiam rationem finis materiæ promisſæ. Interim tamen non est negandum, quandoque hoc non fieri; sed habere rationem puræ condirionis illud malum pro conditione appositum; uti in præsenti supponimus. Unde negatur maj. ibidem posita ita generaliter intellecta.

Ad II. patet ex suppositionibus paulò ante adductis: neg. enim suppositum antecedentis.

Ad III. & ad *Sylvestrum* dico, non obesse, sive vovens intendat impleri aliundè conditionem, sive non; dummodo non intendat illam impleri vi voti, seu mediante voto, & e promisſà à Deo obtinere.

Quærit secundò LUDI-LUSUS, an teneatur sic jejunare toties, quoties luserit, vel

solùm primâ vice, cùm iterum luserit: ne scit enim suæ intentionis amplius recordari, nam & ipsam memoriam amiserat?

Videtur teneri solùm primâ vice. Sic absolutè & sine distinctione habet *Sa* (etiam emendatus) *V. Votum n. 26.* Ratio videtur primò, quòd vota, nisi contrariũ ex mente voventis constet, interpretanda sint (quantùm prudenter fieri potest, & servatâ verborum proprietate, ac usitatâ acceptione) in mitiorem & benigniorem partem: sed mitius & benignius est, si obliget solùm pro primâ vice, & simul sic votum hoc LUDI-LUSI salvâ verborum proprietate, & usitatâ acceptione explicari potest; ergò.

Secundò. Hic videtur communis voventium sensus, quo credunt, vota, vel juramenta obligare solùm pro primâ vice, uti passim contingere in confessionibus. Docet, & explicat *Sanchez. lib. 4. c. 11. n. 22.* in quibus voventes, v. g. se non lusuros, interrogati quoties luserint, respondere solent, se existimâsse, semel fracta vota, non ultra obligare.

Tertiò. pœnæ non sunt multiplicandæ sine manifestâ ratione: sed in proposito quæsito, nulla est manifesta ratio extendendi: sed potiùs

potius dubium : ergò. Quia ex hisce verbis certò solùm colligitur, Ludi-lusum voluisse obligari ad illam pœnam subeundam, si luserit ; dubium autem manet, an solùm pro primâ vice, an etiam toties, quoties: quia hoc votum utroque modo compleri potest, ergò.

Confir. *Custropal. citandus sic.* Is, qui absolutè vovet se in vigilia cujusdam Sancti jejunaturum, intelligendus solùm est pro prima & proxima vigilia ejusdem Sancti; nisi aliquod universale signum addat, uti habet Sanchez lib. 4. in summa cap. 14. n. 40. Benac. disp. 4. q.2. p. 5. § 1. n. 5. citati ab eodem Castropal. Ergo similiter votum, de pœna subeunda, si luserit, de primo ludo videtur intelligendum : Sed

Respondendum & dicendum est aliter. Prius tamen

Notandum primò, si constet de voventis intentione, non fore in hoc casu dubium, quòd juxta illam adimpleri debeat.

Nota II. Similia vota pœnalia dupliciter fieri posse: quod in præsenti quæsito ostendi potest. Primò enim, potuit Ludi-

Lusus vovere solùm pœnam, quæ in præsenti est jejunium in pane & aqua; ita ut abstinentiam à lusu non voverit, dicendo, voveo jejunium in pane & aqua, si lusero. Secundò potuit vovere, & ipsam abstinentiam à lusu, & ipsam pœnam, seu jejunium præfatum, dicendo v. g. voveo non amplius ludere, & si lusero, voveo jejunium in pane & aqua: vel breviter, dicendo, voveo non ludere sub pœna jejunandi in pane & aqua, Ludi-Lusus primo modo vovit.

Nota III. Pœnam, quam quis vovet, posse esse gravissimam, quæ iterari non solet, & posse etiam esse mediocrem, quæ communiter iterari solet. Imò ipsum principale, ad quod vitandum pœna vovetur, potest esse vel de se peccaminosum, ut blasphemare, pejurare, &c. Vel de se non peccaminosum, ut honestè & moderatè ludere. Nunc,

Respondeo & dico Ludi-Lusi votum non improbabiliter obligâsse solùm ad primam vicem. est contra *Sanchez l. 4. in decal. c. 11. n. 21.* ubi ait, se non videre rationem sententiæ ex *Sa* antecedenter allatæ. *Sanch.* Sequitur *Tamb. de voto pœnali.* Sed nostram tenent in hoc explicato vovendi modo *Layman l. 4. tract. 4. c. 5. n. 4. & Castrapal. de voto tract. 1. disp.*

disp. 1. *p.* 18. *n.* 6. approbantes in hoc sententiam *Sa* supra adductam. Et hoc ad summum probant rationes supra allatæ pro sen-sententia *Sa*.

Accedit, quod quis pœnâ, unâ tantùm vice adimplendâ, possit sibi cavere in perpetuum, à quodam actu. Unde non est, quòd in dubio de mente voventis tale votum intelligatur toties de pæna subeunda, quoties actus seu principale ponitur; nisi specialis ratio ad hoc urgeat. Et vel maximè, si principale, ad quod vitandum pœna statuitur, nec de se, nec per votum sit prohibitum voventi, ex quo in perpetuum illud vitare deberet.

Confirmatur argumento ad hominem. Pœna sequitur naturam sui principalis, propter quod illa promissa est, uti ipse *Sanchez cum Adversarijs* ait: sed principale in voto LUDI LUSI non est semper, & pro singulis vicibus sub obligatione: ergo neque pœna. Quin nec pro primâ vice erit sub obligatione, ratione sui principalis.

Sed quid, si Ludi-Lusi votum fuisset duplex, seu de ipso principali; v. g. dixisset, voveo non amplius ludere, sub pœna jejunandi in pane & aqua?

Respondeo & dico. Illum fuisse obligatum ad jejunandum toties, quoties lusisset. Sic *Layman & Castropal. citati.* consentit quoque *Sanch. cit.* quem sequitur *Bassæus.*

Ratio est primò, quod pœna sit accessoria in præsenti voto non ludendi: sed hoc votum pro singulis vicibus obligat: ergò & pœna.

Secundò, pœna sic assumitur ad interdicendum sibi lusum: sed intendit sic in perpetuum lusum interdicere; ergo & pœna in perpetuum intelligenda erit.

Tertiò, qui absolutè vovet, se non lusurum, intelligendus est pro semper: ergò etiam qui vovet se non lusurum sub pœna, obligabitur ad illam semper & toties, quoties &c. sed contra hanc responsionem.

Objicies I. Quod supra dictum est. Potest quis sibi interdicere aliquid in perpetuum, & semper sub pœna unica tantùm vice adimplenda, cuius timore se contineat semper ab eo, cuius gratiâ pœnam unâ cum principali vovit; esto post transgressionem voti; & adimpletâ pœnâ non amplius obligetur ad pœnam: ergò licet pœna sit accessoria sui principalis, voto etiam promissi; non statim tamen inde judicandum est, ergo

gò in voto hoc duplici pœna obligat toties, quoties votum principalis quis violat.

Reſpondetur. Licèt hoc vovens intendere poſſit, & ſic judicandum ſit quandò vovens etiam in voto duplici fuit ſic conſtitutus: ſi tamen de mente voventis in ſimili voto non conſtet, non eſſe à ratione data diſcedendum, ſed juxta illam pœnam determinandam.

Excipimus tamen cum communi, ſi pœna etiam ſimili voto promiſſa, ſit planè extraordinaria, difficillima, quæque iterari communiter non ſolet, uti v. g. eſt peregrinari Romam, Hieroſolymam, ingredi religionem, exorbitans eleemoſyna &c. quæ intelligendæ tantùm erunt pro primâ vice.

Obijcies II. Omnia argumenta, pro ſententia *Sa* ad initium hujus ſecundi quæſiti adducta: quæ ſimpliciter probant, etiam in hoc duplici voto pœnali, obligationem ad pœnam eſſe ſolùm pro prima vice. Sed.

Reſpondetur ad primum. Illud verum eſſe, niſi aliæ rationes contrarium perſuadeant, unde & negatur illam interpretationem prudenter fieri poſſe.

Ad II. licèt id rudes fortè ſic putent, non

tamen

tamen ita rudè interpretanda esse vota à prudentibus, & confessarijs: aliàs cùm rudes vix de essentialibus, & obligatione perpetua votorum, aliquid clarè sciant, illorum vota sæpè invalida pronuntianda forent.

Ad III. aio, esse sufficientes rationes à nobis pro hoc in duplici voto pœnali supra adductas. Confirmatio nihil facit contra nos, cùm agat tantùm de voto simplici pœnali, seu quando sola pœna sub votum cadit, quod ipsi admisimus.

II. quidquid sit de antecedente, quando votum pœnale est duplex, aliæ rationes supra adductæ, suadent contrarium dicendum in consequenti: deindè qui vovet non amplius ludere, jurare, blasphemare, non censetur pro unâ tantùm vice vovere, nisi, addat aliquem terminum restringentem.

Quærit III. Idem Ludi-Lusus, an obligatus fuerit iisdem diebus, quibus ex invincibili oblivione non audivit missam, non ludere; atque sic ludendo (& quidem cum advertentia, se missam non audiisse, & hoc votum fecisse) peccaverit contra votum? Eadem est quæstio, si votum fuisset duplex, scilicet audiendi missam sub

pœna

pœna non ludendi eo die? Antequam autem pro vel contra respondeatur.

Nota I Potuisse Ludi-Lusum specialiter intendisse dies festivos, quibus obligatio audiendi missam extat; vel potuisse indeterminatè, ac indiscriminatim omnes dies comprehendere.

Nota II. Oblivionem Ludi-Lusi potuisse esse, vel circa ipsam missam secundùm se, præciso voto, audiendam; vel solùm circa votum de non ludendo, nisi missam audiverit. His positis, & supponendo, uti verba casus insinuant, Ludi-Lusum non intendisse specialiter dies aliunde sub obligatione missæ audiendæ comprehensos.

Respondetur. Ludi-Lusum non peccâsse tali casu ludendo, Ratio est, quòd hæc pœna non ludendi in præsenti casu, licèt non sit de actu per votum interdicto quoad culpam, & sic in illo actu intermittendo non peccetur contra votum; est tamen de actu illo ut per votum interdicto saltem quoad pœnam, quod sufficit ad salvandam pœnam, cui actui si formaliter, & cum advertentia non controvenitur, nec locum habet pœna.

Clarior res est, si votum pœnale fuisset duplex

plex; nam cùm tunc principale ipſum fuiſſet ſub obligatione ad culpam, & illius tranſgreſſioni pœna per votum fuiſſet impoſita, non poterit eſſe obligatio ad pœnam, ubi in tranſgreſſione nulla eſt commiſſa culpa: nam hoc modo pœna eſt pediſſequa culpæ.

Sed quid, ſi intendiſſet ſpecialiter dies, aliunde ſub obligatione audiendæ miſſæ comprehenſos?

Reſpondetur eodem modo non fuiſſe obligatum ratio eſt eadem.

Sed quid ſecundò, ſi votum fuiſſet duplex & LUDI Luſus ſimilibus diebus feſtivis omiſiſſet audire ſacrum ex oblivione quidem voti emiſſi, cùm ſcientia tamen & advertentia præcepti Eccleſiaſtici eo die urgentis? Adeóque quando in hujuſmodi tranſgreſſione culpa eſt commiſſa, tantùm contra præceptum Eccleſiæ?

Reſpondetur adhuc probabilius eſſe, in præſenti caſu non fuiſſe obligatum ad pœnam. Ratio eſt, quòd juxta communem pœna, quæ non eſt propria delicto, neque per ſe illi annexa, ſed liberè appoſita, regulariter cenſeatur impoſita formali tranſgreſſioni illius legis, per quam illa impoſita eſt: Sed ſtante tali invincibili oblivione, non poteſt

test esse illius formalis transgressio, quia oblivio hæc æquiparatur ignorantiæ invincibili: ergò. Secundò ut obligetur quis ad subeundam pœnam, debet delinquens aliqualiter in eam delinquendo consentire: Sed hoc fieri nequit cum tali oblivione: ergò. Loquimur autem de foro interno. Tertiò votum obligat instar legis humanæ: sed quando est invincibilis hujus oblivio, transgressor materialis non obligatur in conscientia ad pœnam: ergò. Colliguntur hæ responsiones ex *Sa verbo ignorantia n.* 1, *tenetq; Sanch. lib.* 4. *in Decal. c.* 22. *n.* 18. *Layman lib.* 4. *tract.* 4. *c.* 5. *n.* 3. *Castropal. tract.* 15. *disp.* 1. *p.* 18. *n.* 3. quos sequitur *Tamb. in Decal, lib.* 3. *c.* 12. *§.* 7. *n.* 4.

Quæritur IIII. Utrum illorum votorum scilicet de peregrinatione unius diei singulis diebus Sabbatinis facienda, & de servitio in Xenedochio cum jejunio in pane, & aqua in Vigilia S. Benedicti, præstando, fuisset adimplendum illo die Sabbati, in quem incidit fortè Vigilia prædicta? cùm illo die utrumq; adimplere fuerit impossibile? & sic de alijs similibus?

Videtur servandum primum, etsiamsi sit de opere minus grato DEO, Sic *Tamb. lib.* 3. *c.* 15. *§.* 1. *n.* 4. cui (saltem dùm similiter

ter vovens non est memor præcedentis voti) videntur adstipulari *D. Anton.* & *Joan.* de *Neapoli* citati *à Sanchez infra citando.* Ratio esse potest primò. Quia illud jam absolutè erat validū, & actu jam obligavit; ergò non debet â superveniente cassari, utpote quod jam est in possessione.

Secundò: *D. Anton.* & *Joan. de Neapoli* probant sic, quòd posterior obligatio sit incompossibilis; adeòque à priore jam in actu existente tollatur. Quod coincidit cum prima ratione.

Tertiò probari etiam potest, quia si hoc primum non deberet valere, seu servari, eò quòd in tali casu sit impeditivum melioris boni, & secundi hujus melioris voti: sequeretur vix ullum valiturum votum, quia rarissimum erit, quo non possit dari melius, idque cum primo incompossibile. sed contra.

Respondendum est, fuisse adimplendum secundum sic *Sa ver. votum n. 33. Sanch. lib. 4. in Decal. c. 5. n. 24. Layman lib. 4. tract. 4. c. 2. n. 4. citantes Angelum Rosselam Sylvestrum ver. votum 2. q. 17. aliosque, quos sequitur Bassæus verbo votum 3. n. 20.* qui omnes pro hoc allegant *S. Th. in 4. dist. 38. q. 1. a. 4 quæstiun.*

tul. 4. eandemque tenere videtur *Castropal. tract.* 15. *disp.* 1. *p.* 8. §. 5. *n.* 11. Ratio est primò quando duo præcepta simul incompossibilia concurrunt, servandum est illud, quod est gravius, seu melius, juxta communem: Sed in præsenti casu concurrunt duo præcepta, vel quasi præcepta incompossibilia; ergò servandum, quod gravius & melius.

Secundò. Quando quis alteri debet duo, cùm utrumque non potest, debet id, quod scit alteri fore gratius: ergò.

Tertiò. Votum de minori bono quamquam prius, non debet esse obstaculo alteri voto de meliori bono, quia votum debet esse de meliori bono.

Quartò. Probat *Layman citatus.* Quia quisque potest propriâ authoritate votũ suũ in melius, Deóque gratius comutare: ergò edito postmodum simili voto de re meliori, ad hoc servandum obligatur.

Quintò probari potest. Quia in similibus votis per se videtur involvi hæc conditio, nisi opus perfectius elegero; nam aliàs votum de strictiore religione ingredienda illius, qui prius vovit laxiorem, non valeret &c.

Sextò deniq; probatur contra Tamb. argumento ad hominem. Ipse ait quemq; posse propriâ authoritate votum suum comutare non tantùm in evidenter melius, sed etiam in æquale: ergò etiam poterit (imò sci-

enter) facere votum de meliori bono incom-possibili cum priori: nam sicut in comuta-tione non obstante possessione antecedenti voti (quam unicam prætendit) potest cessare obligatio saltem quoad materiam præceden-tis voti, ita poterit non obstante possessione prioris voti cessare illius obligatio per sub-sequens votum de meliori.

Neq; (salvo meliori judicio, & viri autho-ritate) videtur solvere argumenta, ad initium adducta. Dum primò negat minorē primi Argumenti, scilicet concurrere duo vota propter possessionem. Nam satis probata est minor. Dum ait secundò. Votum quidem debere esse de re, non impeditiva melioris boni sed illius, quod jam possidetur. Nam omnes in nostro casu, & similibus fatentur primum votum obligare, usque dum urget executio incompossibilis secundi de melio-ri. Secundò quando fit secundum votum de re meliori, hoc non est impeditivum ma-joris boni jam possessi: ergò debet valere juxta ejusdem doctrinam.

Inf. I. Si in similibus casibus vota sint de rebus æqualis bonitatis, & sit alicui proba-bile, quemque propriâ authoritate posse suum votum commutare in æquale: poterit vo-vens tempore incompossibilitatis exequi quod voluerit.

Inf. II. Si in similibus votis sit dubium quodnam sit de re meliori, servandum esse prius, propter rationem Tamb.

Inf. III. In dubio an sint incompossibilia, vel non; petendam esse dispensationem de primo, si secundum sit de re manifestè meliori, & jam emissum sit absque animo commutandi prius votum minus, in hoc secundum melius.

Quæritur V. An votum illud, ex fine lucrandi sive justo sive injusto ludo, fuerit validum? Ante responsionem.

Not. I. Potuisse hunc finem intendi, vel indivisim sumendo utrûmque ludum, tam justum, quàm injustum: vel potuisse intendi divisim, scilicet ut licet an teneretur ob rationem unius, v.g, finis mali vitiantis materiam; teneatur tamen ratione alterius non vitiantis materiam. Supponitur in præsenti quæstione primo modo fuisse factum votum.

Not. II. Finem malum posse se dupliciter habere. Primò ut sit finis ipsius materiæ, & rei promissæ, ita ut rei promissæ executione finem malum quis obtinere intendat, ordinetquè illam ad talem malum finem. Secundò ut sit finis ipsius voventis, quo ad vovendum excitatur, atque ut finis ipso vovendi actu obtineri intendatur. Primo modo semper invalidum est votum, non secundo.

Not. III. Quando finis malus, est finis ipsius voventis, vel voti; potest vovens illum velle obtinere, vel à Deo vel aliunde.

Primo modo semper est invalidum votum, non secundo.

Not. IV. Posse primò rem promissam ex se esse aptam, ad finem obtinendum v. g. jejunare ad parcendum sumptibus, dare eleemosynam ad capiendam vanam gloriam, &c. adeóque à vovente dirigi ad illum finem, secundò potest res promissa quidem de se non conducere ad finem obtinendum, & nihilominùs à vovente hæc ad illum finem dirigi, uti in nostro quæsito est jejunium, ut lucrum reportetur; & in utroque, finis censetur esse finis ipsius rei promissæ, nisi quod in priori finis immediatè intendatur per rem promissam, in hoc secundo solùm mediatè, v. g. mediante & coadjuvante Deo.

Not. V. Quòd possit in certis circumstantiis ipsum votum esse aptum ad finem malum obtinendum aliunde quâm à Deo, ut vovere eleemosynam coram hominibus ad aucupandam vanam gloriam ab iisdem, & tunc regulariter finis censetur esse finis ipsius voventis, nisi aliter constet de voventis ordinatione.

Not. VI. Quòd possit etiam ipsum votum de se non esse aptum ad obtinendum finem ab hominibus, ut hi sint quasi illius patroni, & cooperatores, uti in nostro casu votum jejunandi, ut lucrum sequatur; & tunc censetur vovens illum finem velle à

Deo, mediante suo voto impetrare, in quo casu votum est invalidum, si finis sit malus. His positis.

Respondendum & dicendum est: Illud votum non fuisse validum.

Ratio est, quòd votum cuius finis est malus, atque finis ipsius rei promissæ; vel cujus finem malum vovens mediante ipso voto intendit obtinere à Deo, sit nullum; sed tale est hoc præsens votum: ergo est nullum, maj. probatur quia primò votum ut valeat, juxta omnes debet esse de re Deo grata: sed quando finis malus, est finis ipsius rei promissæ, tunc ipsa res promissa quamquam ex objecto bona, redditur mala ex fine, adeóque Deo non grata: ergo tunc votum non valet.

Confirmatur quia quando vovens rem bonam vovet, ordinando illam ad finem malum, illa redditur mala, & inhonesta; nam sic vovens non se obligat ad illam rem bonam secundum se, sed quatenus est medium ad finem malum; hoc autem modo sumpta res bona, redditur mala: ergò.

Accedit, quod in moralibus res suam speciem sumat à fine.

Eadem major probatur, quo ad alteram partem. Quia Deus non potest acceptare tale votum, in quo ipse deberet esse auctor mali finis; sed sic in præsenti casu deberet acceptare; ergò.

Probatâ majore, probatur etiam mino maximè quòd hunc finem voluerit media te hoc voto obtinere â Deo. Nam cùm homine illum finem per hoc votum (ut pote ineptum ad hunc ab homine impetra dum) impetrare non potuerit, necessari illum à Deo voluisse obtinere convincitu Pariter sufficienter præsumi potest, eunde & jejunium ipsum promissum in hunc m lum finem ordinâsse; adeòque finis hic m lus, erit finis ipsius materiæ ergò. Hæc r sponsio colligitur *ex Navarr. in summa lat. 22. à n. 30. Sa verbo votum n. 4. Sanch. lib. ni Decal. c. 6. n. 13. Layman lib. 4. tract. 4 1. à n. 7. Castropal. p. 3. tract. 15. disp. 1. p. §. 3. à n. 1. Quos sequitur Bassæus, & Tamb. li 3. c. 15. §. 2. à n. 3.*

Quæritur VI. An votum *tantùm* ce tum & determinatum quid præstandi, v. *tantùm* orandi Litanias Lauretanas valea & sic de aliis similibus? ante responsione

Notandum I. In hoc voto li *tantùm*, p tuisse excludere vel omnia alia pia oper vel tantùm illa, quæ sunt piæ orationis op ra; in præsenti quæsito supponitur li *tan* excludere omnia alia cuiùscunque gene pia opera, aut vota. Et hoc discrimen p rùm conducit pro præsenti negotio.

Notandum II. Potuisse in nostro quæ to casu voventem voluisse per li *tantùm* ex cludere illa, quæ jam aliàs erant sub obli gation

gatione, & præcepto, uti etiam vota antecedenter ad hoc votum emiſſa, & ſic volendo violare præcepta, aut commutare præterita vota in hoc unum minus; alia quoque peccata immiſcerentur. Aut potuit voluiſſe excludere, non quidem præcedentes obligationes; ſed ſolùm ſibi præcludere, & interdicere viam ad alia futura ac fortè facienda vota; atque ſic omnia illa excludere. Et in præſenti voluit excludere tam præcedentia vota, quàm futura facienda.

Notandum III. Potuiſſe voventem intendere per li *tantùm*, ut ſolùm hoc cadat hic & nunc ſub votum, cætera tamen pia opera, ac etiam vota circa illa, maneant in libertate pro cuiusvis aptitudine. Non ſic in præſenti caſu diſpoſitus fuit vovens.

Notandum IV. Voventem potuiſſe ideo ſolùm addere hanc particulam *tantùm*, quia judicavit, quòd ſic aliis pluribus bonis operibus, aut votis non impeditus, maiore cum fervore hoc unum exequi poſſit, idquè ſibi propoſuerit, & ſic ſolùm per conſequens, & indirectè alia per li *tantùm* excluduntur. Secundò potuit principaliter ex perverſitate, vel tædio erga ſpiritualia, & pia opera, reliqua omnia voluiſſe excludere; & hoc tantùm præſtare, ut aliis ſibi interdicat, adeòque directè & principaliter per li *tantùm* potuit velle excludere omnia alia pia

opera; hoc autem determinatum per votum intendere solùm per consequentiam, & indirectè. Hoc secundo modo se habuit vovens in præsenti quæsito.

Notandum V. Verba hæc voveo *tantùm* hoc determinatum orare, in communi quidem facere hunc sensum, voveo, me nihil aliud oraturum, sed hoc determinatum velle orare. Ex privata tamen intentione voventis, posse habere alium sensum, ex supradictis meliorem; vel alium ut v. g. sensus sit, voveo, me nihil aliud velle orare, ab hoc vel nisi hoc, vel quàm hoc, vel præter hoc; de quibus loquendi modis non parva est inter authores lis, præsertim in materia sponsalium, ac matrimonij, quando verba sunt nullam ducam nisi vel quam, vel præter vel abs te, &c. Primo modo se habuit vovens.

Notandum VI. Intentionem voventis in hoc quæsito esse potuisse, sese indivisibiliter per modum unius, & aliqualiter obligandi, tam ad negationem exclusorum per particulam *tantùm*, quàm ad id determinatum directè promissum, vel potuit fuisse intentio se obligandi tantùm divisibiliter, & non per modum unius, adeóque si votum in uno deficeret, valeret nihilominus in eo, in quo est sine defectu. Primo modo se habuit vovens.

Sed cur semper in hoc casu pejora de vovente?

Avis

Avis ex cantu, ex fine cognoscitur tonus, hic tenor est casus, & sensus litteralis. His positis.

Votum illud fuisse nullum omninò, & invalidum. Patet satis ex notatis. Et colligitur ex *Sanch. lib.* 4. *in Decal. c.* 8. *à n.* 42. *Similiter ex Castropal. tract* 15. *disp.* 1. *p.* 8. *n.* 16. Et ratio est primò, quia quando, præsertim directâ eàque indivisibili ad utramque materiam intentione, immiscetur voto materia inepta, votum est nullum: sed in præsenti voto hocce modo imiscetur materia inepta; ergô votum est nullum, & invalidum.

Ma. probatur, quia quando indivisibiliter vovens vult esse obligatus tã ad materiã ineptam, quàm aptam; vult ita esse obligatus, ut cessante obligatione respectu unius, cesset & respectu alterius; ergo cum in tali casu votum ratione materiæ ineptæ sit nullum, erit etiam nullum quoad materiam aptam, ex voventis nempe indivisibili intentione.

Nunc probatur min. primi sylog. primò: quia cum voluerit votis finem imponere, scrupulosq; exinde fortè emersuros evitare; satis præsumitur directâ intentione voluisse sibi per ly *tantùm* interdicere ac excludere (& quidem indivisibili intentione, tam circa rem promissam, quàm circa exclusa) omnia alia bona præstanda, sive omnes saltem alias orationes, etiam majores, & meliores, tantúmque illas litanias orare.

Nam si hoccè modo non vovisset, parũ profuisset illi hoc votum, ad suum finem intentum jam dictum; utpotè quia licet votum hoc fuisset validum quoad rem promissam, non tamen fuisset validum, quoad negationes aliorum votorum faciendorum, vel bonorum operum præstandorum (de quo paulò post) adeóq; per illud non satis imposuisset finem suis votis &c.

Probatur secundò èadem responsio. Votum cujus finis est malus, & finis ipsius rei promissæ, est nullum,& invalidum: sed tale erat hoc votum ergò. Maj. constat, minor autem probatur, voluit enim directâ intentione mediantibus his solis promissis litaniis B. Virginis nihil aliud orare, aut vovere: qui finis omninò malus est: ergò. Ex quibus

Infertur I. Si hic malus finis, non fuisset finis ipsius materiæ promissæ, quæ in præsenti est v. g. Litaniæ B. Virginis, sed solùm fuisset finis ipsius voventis, qualiter fuisset futurum, si vovens voluisset. Atque etiam vovens non per modũ unius indivisibilis vovisset tam rem promissam, quàm negationes rerum ly *tantùm* exclusarum; si inquam, si se res habuisset, validum fuisset votum quoad rem illam bonam promissam, quamquam nullum fuisset quoad negationes rerum meliorum exclusarum. Ratio est, quia res directè promissa bona est, & melior, quàm ejusdem negatio, aut privatio.

Inf. II. Si vovens fuiſſet conſtitutus, modo in tertio notando, & etiam in quarto à principio explicato, votum fuiſſet validum. Non enim obeſt, quòd tunc hoc votum adhuc excluſiſſet aliàs preces, aut bona opera, vel etiam vota circa illa: quia etiam votum ſerviendi e.g. perpetuo in Xenodochio; ſeſe vendendi in ſervum ad redimendos pro pretio alios captivos: aut votum ingrediendi Religionem aliquam, & cætera ſimilia votum excludunt alia vota, etiam meliora, non tamen ſunt invalida. Et ratio eſt quia horum votorum materia de ſe eſt bona, honeſta, & melior, quàm ejus privativè oppoſitum; nec etiam impediunt quid melius, quod tunc vovens habet, atque etiam, quamdiu vovens non vovet aliquid perfectius, melius eſt eſſe obligatum ad aliquod bonum minus, quàm planè ad nullum ex perfectioribus; ergo ſimile votum neque in alijs deficiens, eſt validum. Tandem licet talis excluſio aliorum meliorum operum ſit ex natura rei, non tamen eſt ex directa voventis intentione ad hoc ordinata, quod tamen fieri deberet. Sed.

Quæritur quid dicendum, ſi Ludo-Fixus ſub hac verborum forma voviſſet; ſcilicet promitto, ſeu voveo nullum aliud bonum opus, aut nullam aliam orationem perficere ab hac, v. g. ab his litanijs, vel niſi has, vel quàm has, vel præter has? circa quem loquendi

quendi modum explicandum, & determinandum, nonnulla est (uti dixi) inter auctores controversia, ac difficultas. Procedit autem quæstio hæc, insistendo genuino verborum sensui, & communi eorum inter homines usui, præscindendo ab omni speciali voventis intentione, alijsque circumstantijs aliquid aliud fortè suadentibus, qualia fortè in voto LUDO-FIXI esset reperire. Et quo ad vota expressè hanc difficultatem tangunt *Sanch. l. 4. in decal. c. 8. à n. 46. Castropal. tract. 15. disp. 1. p. 8. n. 16.* qui tandem eidem *Sanch.* concedit horum omnium sensum esse conditionatum, & facere hunc sensum, promitto me hoc bonum facturum, vel hoc oraturum, si quid boni fecero, vel oravero.

Supponitur autem tamquam certum, similia vota quantùm ad negationem aliorum piorum directè intentam non valere; juxta antecedenter dicta, ideóque maximè quæstio est quoad partem positivam directè intentam.

Videtur votum sub hac verborum forma factum non valere. *Sic. Castropal. cit. cum aliis.* Nec est improbabile. Ratio est, quia quotiés aptæ voti materiæ immiscetur, saltem tacitè & indirectè, sed inseparabiliter seu in sensu indivisibili materia inepta, votum est invalidum; sed in hoc voto sub tali verborum forma emisso, immisceretur fal-

tem

tem tacitè, & indirectè, ast inseparabiliter, & in sensu indivisibili materia inepta materiæ voto aptæ; ergo sub tali verborum forma, hoc votum est invalidum. Ma. constat. Mi. probatur: verborum sub dictâ forma contextorum sensus est ad summum conditionatus, eo modo, quo diximus: sed hoc modo inseparabiliter, & sensu indivisibili immiscetur inepta voti materia, aptæ: ergo. Major est auctorum contrariæ sententiæ. Mi. probatur hoc sensu conditionato non solum promittitur determinatum hoc opus, vel oratio, sed etiam promittitur negatio aliorum operum, vel orationum, & quidem inseparabiliter: ergo. Probatur antecedens; si enim non æqualiter & inseparabiliter promitteretur aliorum operum, & orationum negatio, sicut ipsa determinata v. g. oratio; non peccaret vovens orando, vel præstando aliquid aliud bonum opus minus.

Secundò vota, quæ retrahunt ab operibus absolutè bonis, & quæ solùm obligant ad aliquod bonum opus sub conditione à liberâ voluntate pendente, non cedunt in majus Dei obsequium, neque in maiorem voventis utilitatem, adeóque non valent; sed tale esset votum sub illa verborum forma emissum: ergo non valet. Sed contra, Nobis.

Respondendum ac dicendum videtur quòd votum illud sub dictâ verborum formâ fuisset validum, non quidem quod absolutè

lutè obligâsset, sed sub conditione, si quid boni præstare, vel orare voluerit. Et hanc tenet *Sanch. cit. n.* 47. Ratio est è diametro contraria. Illa enim vota sunt valida (cæteris non deficientibus) quorum res directè promissa, est apta voti materia quæque ex directâ seu principali intentione voventis non habent inseparabiliter admixtam materiam ineptam, aut exclusionem aliorum operum piorum: sed votum sub hac verborum forma est directè de re apta voto, nec admissam habet ex directâ voventis intentione inseparabiliter materiam ineptam, aut exclusionem operum piorum: ergo est validum. Ma. patet satis ex dictis. Mi. probatur primò quia uti ipse *Castropol.* concedit, votum sub tali verborum forma factum, est conditionatum, modo supra explicato: sed in tali sensu conditionato, nulla involvitur directa exclusio piorum operum, aut nulla inseparabiliter admiscetur ex directâ voventis intentione materia inepta: ergo.

Nec obest, quòd in hoc sensu conditionato, saltem tacitè & indirectè involvatur negatio aliorum operum piorum, & consequenter inepta materia, eò quòd, sub conditione dicta saltem de uno solùm determinato opere sit, nam hoc idem contingit, si quis absolutè voveat, se se vendere in servum ad pauperes captivos redimendos; & tamen est validum, neque (quântum est ex

se) directè, aut inseparabiliter negat alia, v. g. religionem; ergo & in nostro casu, votum erit saltem sub conditione validum.

Probatur secundò hæc eadem responsio. Illud votum, cæteris non deficientibus, valet, quod est de meliori bono, quàm sit ejus privativè oppositum: sed hoc votum conditionale in nullo deficit, uti jam ostensum est, & est de meliore bono, quàm sit ejus privativè oppositum: ergo valet. Mi. iterum probatur. Melius enim est esse obligatum ad aliquod certum bonum, v. g. certas preces sub conditione, quâm non esse obligatum ad nullum omninò bonum opus: ergo melius est hoc votum conditionale etiam de minore bono, quàm sit ejus privativè oppositum.

Sed quæret quis, unde habeatur talia vota facere sensum dictum conditionatum? ℞. cùm promissio de negationibus rerum sub consilijs Evangelicis contentarum, de se inepta, & nulla sit; deberet illa (nisi directè vovens etiã has negationes vellet promittere, vel ex alijs circumstantijs id velle præsumeretur à quibus omnibus præscindimus in præsenti quæstione tunc enim clarum esset votum non valere) ut aliqua esset obligatio, tendere absolutè in rem per ly abs, quàm, præter, nisi &c. exceptam: sed non tendit absolutè, & vi verborum in illam: ergo tantùm sub dicta conditione. Mi. probatur

batur non enim ita universalis est illa, aut Logicorum, aut Grammaticorum regula, quod istæ particulæ, sequentes negationem, affirment. sequentes autem affirmationem negent; ut dum v. g. dico omnes currunt nisi Petrus, negent: dum autem dico nullus currit, nisi Petrus, affirment; quin etiam suam patiatur exceptionem in promissionibus & contractibus, uti colligunt plurimi Doctores, quos refert & sequitur *Padilla l. action. 16. C. de transact. cit. à Sanch. de matr. l. 1. disp. 9. ex l. si sterilis §. penult. ff. de act. empt. ibi sed et si ita fundum tibi vendidero, ut nulli alii eum, quàm mihi venderes: actio eo nomine ex vendito est, si alij vendideris.* Atque is est communis hominum sensus eorum verborum, in promissionibus & contractibus uti tenent plurimi cum *Sanch. l. 1. de matrim. disp. 19. n. 5.* Et verò dum quis sic vovet, promitto me nullam aliam Religionem professurum, nisi Carthusiam: quis eum dicit absolutè obligatum esse ad Carthusiam?

Ad argumenta Castropalai ℟. ad primum negando, quòd in tali verborum forma, in sensu conditionali accepta, immisceatur inseparabiliter, aut in sensu indivisibili materia inepta; sed directè solùm promittitur & quidem ex suppositione conditionis illud bonum tantùm; adeóque & hoc ipso tantummodo indirectè, & per consequentiam (si attendatur solùm hic sensus conditionalis)

excluduntur reliqua bona, quatenus nempe ex conditionis hujus natura vovens censetur ferri tantùm in illud determinatum.

Ad id, quòd aliàs vovens non peccaret, si non inseparabiliter, & indivisibiliter fuissent promissæ illæ negationes.

Dico primò, non peccaturum voventem, si melius quid præstiterit, vel oraverit in præsenti quæsito: quia nullum votum debet esse melioris boni impeditivum.

Dico secundò, peccaturum quidem contra hoc votum, si minus bonum opus, vel orationem minorem cùm advertentia ad votum hoc emissum præstiterit; non autem ex illa ratione quam supponunt adversarij; sed quia tunc minus præstaret, quàm conditionatè promiserat. Et quia saltem per consequentiam se obligavit, ad non præstandum minus. Sicut qui promisit Religionem quandam strictam ingrediendo strictiorem non peccat; ingrediendo autem minus strictam peccabit, non quia directè vel inseparabiliter minus strictas censetur voluisse excludere vovendo strictam; sed quia minus poneret quàm promiserat, & quia saltem per consequentiam promisit non ingredi laxiorem.

Ad secundum respondeo, distinguendo ma. vota, quæ ex directâ voventis intentione retrahunt ab operibus bonis, atque me-

 lioribus

lioribus &c. Non cedunt in majus Dei obsequium, & voventis utilitatem, adeóque non valent; concedo ma. Vota quæ ex indirectâ voventis intentione, & per consequentiam retrahunt ab operibus bonis, & melioribus; non cedunt in majus Dei obsequium &c. Nego ma. ad mi. dico hoc votum contineri sub secundo membro distinctionis, uti patet ex dictis. Ex his.

Inf. I. Non fore validum hoc votum sub dicta verborum forma factum, si vovens non principaliter, & directè affectionem habuisset in illud determinatum bonum opus, & orationem sub conditione promissam; sed directè & principaliter, ejus affectus fuisset excludere reliqua pia opera, & orationes. Quia tunc, formaliter loquendo, vovens principaliter vovisset materiam ineptam.

Inf. II. Idem omninò quod circa præfatas formas diximus de illa materia; etiam dicendum esse, si sub illa verborum forma aliquis promitteret nullam Religionem nisi hanc: non recitaturum rosarium, quàm flexis genibus: non daturum eleemosynam præter sex aureos &c.

Inf. III. Omnia prædicta, & similia vota sub hac verborum forma, esse in omnium sententia valida; quando per illas particulas solumodo excluditur aliquid voto inceptum

ptum v. g. si quis promittat nullam dare eleemosynam, nisi ob bonum finem; vel si rosarium recitare voluerit, illud se recitaturum attentè, &c.

Inf. IV. Sub dicta verborum forma voventem posse omnia similia vota, utpotè juxta nostram sententiam valida, propriâ authoritate commutare in opus bonum, aut orationem, quamquàm minus perfectam. Ratio est, quòd obligatio absoluta ejusdem orationis, vel operis boni quamquàm minoris, sit utilior ad DEI cultum, quàm obligatio solùm conditionalis, & à libera hominis voluntate pendens circa opus bonũ vel orationẽ aliáq; similia meliora. Nã stante tali obligatione conditionali, potest homo liberè & absquè peccato nihil utile consiliorum Evangelicorum ad DEI obsequium præstare; cùm tamen stante absolutâ obligatione circa minus, absolutè teneatur aliquid utile ad DEI honorem facere. Debet tamen in vovente esse animus commutandi in tali casu, quia licèt aliquid absolutum promittat, non inde statim deletur conditionalis obligatio præcedens circa majus opus,

*Resolvit Salisburgi in Celeberri-
ma, Archi-Episcopali, ac
Benedictina Universitate,
sub Reverendo, Religioso,*
PATRE JOSEPHO
DRESHER, *Monacho Bene-
dictino, ad S. Lambertum in
Styria professo, SS Theologiæ
Doctore, ac p. t. Casuum Con-
scientiæ Professore ordinario;
Ornat. & Doctissimus Domi-
nus* Mag. SEBASTIANUS EI-
SENHUET, *Celsissimi, & Re-
verendissimi Principis &c.
&c. Alumnus. 1674. Die 9.
Maij.*

CASUS V.

De interpretatione votorum.

PErvetuſtum, ac vel ipsâ vetuſtate de veritate ſuſpectum eſt diverbium. *Novus Caſiſta, novus Infernus.* Cui tamen ſi quæ veritas, erit de ijs, qui magis ſunt practici in caſibus committendis, quàm reſolvendis: utpotè ſtultorum infinitus eſt numerus Eccleſ. 1. Quos inter nonnullus fuiſſe videtur is, qui, ut fortè penitius, & ex fundamento penetraret Antonium Dianam, quotquot in eo, (non communi ſtudio) legerat caſus ſcriptos, aut fictos fecerat factos; ex quo habuit ampliorem reſolvendorum conſcientiam, quàm reſolutorum ſcientiam. Hunc fortè tamquā ſui genij auctorem ſequutus Casi - Brodius, ut ſibi, ita & alijs blandiendo nocivus, omnium collaboraret vitijs, quibus expurgandis hic unus nō ſufficeret infernus, votorum interpretem jactavit non vulgarem, vendens fumum pro fumo. Ad hunc itaq; tam fumoſum, quàm famoſum, quaſi ad Oraculum Delphicum inter quamplures illos, qui perniciosè laxos vocant benignos, ac humanos (ad excuſandas nempe excuſationes in peccatis) confluxerat & Virginius Parthenius aſ-

serens se votum fecisse, non cogno-
scendi fæminam, nunc autem Parentem
urgere ad ducendam uxorem. Rogat
utrum id absque voti violatione facere
1 possit? Respondit diductis in risum ge-
nis, paucissimis pro more verbis odia esse
restringenda, favores ampliandos, du-
2 cendam uxorem. Sequutus Raro-
Sanctus rogans num votum de pe-
regrinatione ad Beatam Virginem Cel-
lensem in Styria sitam promissa, debeat
adimplere eques vel pedes. Et ipse be-
nignum sensit Jovem, standum nempe
3 libertati. Non severiorem tulit senten-
tiam MissAudius quotidie audire mis-
sam ex voto obligatus; nempè & diebus
festivis unius missæ auditione voto satis-
4 fieri. Hæc inaudiens Religius absque
mora, dum bona adhuc faveret stella, ac-
cessit, rogavit, quid faciendum sibi in
emisso voto, ingrediendi Religionem, si
Parens consenserit, qui quidem ad initium
consensit, ast nunc non absque stomacho
contrarium urget. Parenti meritò ob-
temperandum ipsa natura docet, respon-
dit non nihil corrugatâ fronte Casi-Bro-
5 dius. Audientiam petijt Ter-ibil-
is super interpretationem voti de je-
junando ter in septimana, an nempe
violato per comestionem carnium vo-
to,

to, obligetur adhuc ad non comedendum carnes eodem die? Votum non eſt lapis offenſionis, inquiebat ille, quod ſemel ſapuit in culpa, abſque illa ſapiet meliùs; edito ſecurus. Sexta ordine in- 6
grediebatur CERE-NYMPHA vultu pallido, ac in modeſtiam compoſito; petitâ, & obtentâ loquendi veniâ, debili, ſed gratâ voce ajens, ſe vix non in pari, cum TER-IBIL-I venire cauſa, an nempè violato ſemel voto de jejunando in pane & aqua, teneatur adhuc eodem die ſub tali forma jejunare? Cui ille: ut ſcrupulosè devotus es fæmineus ſexus! paritas cauſæ, parem expoſcit ſententiam. Septimo de Rure venerat BIVIA- 7
ANXIENA, confricans ambabus caput, capillis in furiarum, aut faunorum morem diſperſis, vix fores ingreſſa, nullâ præmiſsâ ſalute, id unum ingeminans, Capellam vovi offerre DEO, Capellas habui duas, aſt neſcio, quam determinatè vovi, una Capella perijt; Heu miſera! quid agam? Juſſit hic mittere querelas ANXIENAM, & pretium dimidium tantùm pro Capella offerre. ANXIENAM 8
comitatus MARITUS, auditâ tam expeditâ, ac benignâ ſententiâ, rogabat, quid ſibi faciendum, dum roſarium, quod ſingulis diebus Sabbathinis perſolvere vo-

verat, eo die intermisit? Respondit ad nihil aliud te obligatum certò habeto; sed meritò grates referte DEO, quòd
9 me virum nacti sitis. Vix hi egressi; Hem BIBIANA, unà cum marito suo PROFICIATO uno ore salutatum CASI-BRODIUM sic alloquuntur: Mi Domine, votum emisimus de danda tibi (percepimus enim, & te esse ex Aristotelica sorte pauperem) certa quadam urna vini optimi dono accepta, verùm proh dolor! jam ipsi ad conservandum nomen nostrum illam evacuavimus. Hic blandus gloriæ Zephyrus, in Boream versus, ex imo movit bilem, & intonuit, nunquid scriptum est Eccl. c. 5.? si quid vovisti DEO, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis, & stulta promissio; aliam dabitis. Dixit, ac per Doctoratûs sui fidem, & dignitatem juravit, se non ultra hominibus futurum tam propitium. Tandem post longa, nimius fumus elicuit lachrymas, pœnitentiâ ductus CASI-BRODIUS.

Quærit primò: An benè interpretatus fuerit votum illud, non cognoscendi fœminam?

Ante responsionem notandum, nos & in præsenti, & sequentibus quæstionibus solvendis

vendis semper supponere, quòd non constet de mente voventis. Hoc posito

Videtur bonam fuisse illius voti interpretationem: quia in dubio circa determinationem materiæ, votum est interpretandum benignè, & in favorem voventis: sed in præsenti est dubium, circa determinationem materiæ: ergo. Major patet à pari, quando aliquid promittitur planè indeterminatè, quoad individuum. Minor etiam est clara, quia dubitabat dictus Virginius Parthenius, an voto illo non cognoscendi fæminam, voluerit promittere negationem concubitûs etiam liciti, & matrimonialis; vel tantûm negationem concubitûs illiciti, ac fornicarij. Sed

Respondendum est, non fuisse prudenter factam illam interpretationem. Probatur primò: quia fuit facta absque omni præmissâ inquisitione eorum, ex quibus potest moralis, & prudens determinatio fieri. Probatur secundò: quia ad dignoscendum in similibus casibus, inspiciendus inprimis est finis, ex quo motus fuerat vovens, cùm in moralibus finis vel maximè specificet actum. Unde quærendum erat, an vovens in præsenti, ad hoc votum emittendum motus fuerat ex eo, quòd fortè fornicationibus deditus erat, quas mediante voto seriò evitaret; vel quòd exinde debitè

bitè mulctatus fuerat. An verò ex speciali motivo castitatis, & abstinentiæ à concubitu affectu muliebri. Nam si primo modo se habuit ejus motivum, bona est memorata voti interpretatio, neque obligabit votum ad abstinendum à concubitu licito, & matrimoniali. Sin verò secundo modo se habuerit, obligabit tam à licito, quàm illicito concubitu: consequenter VIRGINIUS ille PARTHENIUS Parenti in hoc obtemperare non potuit, neque (intellige sine irritatione, dispensatione vel commutatione prævia voti) ducere uxorem. Et ratio utriúsque est, quia cùm voluntas nihil determinatum possit liberè velle, vel nolle absque motivo, seu nisi sit mota, in dubio an hoc vel illud potiùs pro actu intenderit, colligendum erit ex motivo, quod ad hoc potiùs impellere solet, quàm ad aliud. *Sanch. lib.* 4. *in Decal. c.* 21. *n.* 27. quem sequitur *Bassæus v. Votum* 3. *n.* 11. Unde

Respondetur ad argumentum supra adductum distinguendo maj. si consideratis & examinatis omnibus circumstantijs, scilicet naturâ rei promissæ, verborum proprietate, communi eorum acceptione, & recepto sensu, item fine voventis, & similibus circumstantijs, adhuc maneat dubium, concedo maj. si his non consideratis, aut non examinatis est dubium, debet statim beni-

benignè interpretari in favorem voventis nego maj. tunc enim imprudenter fit interpretatio. Et eodem modo distinguo min. est dubium consideratis, & examinatis circumstantijs præfatis nego: illis non consideratis concedo min. & nego consequentiam. Ex quo patet, quid ad maj. & min. probationis seu confirmationis dicti argumenti respondendum sit. Ex dictis

Infertur primò: quòd licet tale votum, etiam ex speciali motivo castitatis, & abstinentiæ à concubitu muliebri eóq; licito factum, non sit votum castitatis absolutè, & simpliciter; unde etiam non est reservatum summo Pontifici: attamen quoad quosdam effectus imitetur votum simplex castitatis: puta quoad impediendum matrimonium, ejúsque usum.

Infertur secundò: si hic vovens nec motivi sui meminerit, neque etiam omnibus alijs circumstantijs perpensis, mens voventis determinatè colligi possit, de quo concubitu votum intelligendum sit; Videtur, quòd hoc votum interpretandum sit de omni, adeóque etiam licito concubitu. Ratio est primò: quia sic, cognoscere, vel non cognoscere fæminam, est generale quid ad utrumque concubitum. Secundò: negatio negat, quidquid potest se juverit: sed hoc votum est negativum: ergo. Tertiò: sic vi-

ſic videtur verborum proprietas in hoc dubio exigere. Credit tamen *Sanch.* his non obſtantibus, in tali caſu hoc votum eſſe interpretandum de ſolo illicito concubitu, adeóque voventem poſſe ducere uxorem, quia hic videtur communis uſurpandi modus, & ſenſus inter *ſolutos* horum verborum. Et verò, volentes ſe obligare ad abſtinendum, etiam à licito concubitu, non ita confuſis, ac generalibus verbis id exprimere ſolent, neq; tam leviter; ut ſuæ intentionis, vel motivi, aut ſaltem occaſionis ad vovendum tunc impellentis neſciant recordari.

Quærit. ſecundò: An vovens ſimpliciter peregrinationem, & poſtmodùm neſciens an pedeſtrem, vel equeſtrem intellexerit, adimpleat votum peregrinatione equeſtri?

Videtur quòd non, quia in ſimili dubio res determinanda eſt, juxta comunem hominum uſum, & acceptionem; ſed communiter homines, præſertim communioris ſortis, ſolent peregrinari pedes: ergo peregrinatio in dubio determinanda eſt, & intelligenda pedeſtris. Sed contra

Reſpondendum eſt, adimplere equeſtri peregrinatione, idque licitè facere. Ratio eſt, quia peregrinatio equeſtris, eſt omni rigore peregrinatio: ergo qui eam conficit, conficit quoad ſubſtantiam peregrinationem

nem voto promissam. Confirmatur, finis & modus legis, præsertim extrinsecus, juxta communem, non cadit sub legem, nisi id fuerit expressum; sed ire pedes in peregrinatione, vel eques determinatè, est modus tantùm adimplendi votum peregrinationis, isque non exprefsè determinatus, aut promissus in hoc casu: ergo non cadit sub votum. Votum enim se habet instar legis privatæ. Et aliunde vota strictè sunt interpretanda, ut quantùm fieri possit, minùs obligent: ergo. Sic sentit *Sanch. in Decal. lib.* 4. *c.* 11. *n.* 32. *Castrop. tract.* 15. *disp.* 4. *punct.* 12. *n.* 9 quos sequitur *Tamb. l.* 3. *in Decal. c.* 15. §. 6. *n.* 3. idem sentire videtur *Filliucius tract.* 26. *de voto. c.* 4. *n.* 117. aliique. Ad argumentum in contrarium

Respondetur, distinguendo mi. homines inferioris sortis communiter eunt pedes peregrinatum, vel ex speciali pietate, vel ex speciali necessitate, aut egestate concedo: eunt pedes ex eo, quòd judicent id esse de substantia peregrinationis, nego mi. & consequentiam. Tale enim judicium, esset erroneum. Major autem argumenti allati solùm est vera, si de substantia rei promissæ, aliunde non constet. De reliquo, quid ulteriùs ad illud argumentum sit dicendum, patet ex nostra responsione.

Infertur nec obesse, quo minùs satisfa-

ciat voto, peregrinatione equestri, quamvis vovens intra vovendum animum habuerit, eandem instituendi pedes. Neque enim animus, aut cogitatio illam tali vel talimodo exequendi, inducit obligationem: si non simul promittatur ipse modus.

Sed quid si RARO-SANCTUS in nostro casu ob alia negotia, vel mercede conductus, vel vi coactus, aut ex curiositate ad B. V. Cellensem se contulit? satisfecit ne voto ibidem Matrem gratiarum liberè, & ex pietate invisendo?

Respondetur primò, quòd satisfecerit, si objectum hujus voti, fuit sola hujus templi, seu sacræ imaginis invisio, secluso labore itineris; Ratio est, quòd ponat sic totum liberè, & non alio jure debitum, quod promiserat. Non tamen est præsumendum votum peregrinationis (nisi contrarium certò constet) fieri præscindendo à labore itineris.

Respondetur secundò, non satisfactum fuisse voto, si objectum ejusdem fuit non tantùm sacræ imaginis visitatio, sed & ipse labor itineris, siquè ipse in illo itinere nulla pietatis ratione ductus, ad locum præfixum pervenit. Ratio est, quia non fuit positum quoad substantiam, quod erat votum promissum, nam de substantia veræ peregrinationis est, ut sit actus religiosus, & ut liberè

liberè ac spontaneè fiat pietatis causâ. Tali autem modo, vel fuisset actus omninò violentus, vel fuisset Titulo justitiæ debitus, si nempe stipendio conductus eò se contulisset, vel, si tantùm ob alia negotia, aut curiositatem; non fuit actus religiosus, adeóque non peregrinatio quoad substantiam.

Respondetur tertiò, si non omninò vi coactus, & invitus, (quia tunc certum est huic voto non satisfieri) sed causâ alterius negotii expediendi, vel ex curiositate, vel etiam ob malum finem, quidem liberè se eò contulit; attamen simul causâ piæ visitationis dicti loci, & imaginis illuc concessit, voto satisfecit, quamquàm objectum voti erat & ipse labor itineris. Ratio est, quia tunc posuit liberè, & voluntariè peregrinationem quoad substantiam, quam voto promiserat, quamquè alio titulo non debebat; ergò satisfecit. Ex quibus

Inf. primò, tali voto obstrictum non satisfacere voto, si stipendio conductus ad talem locum peregrinetur, etiamsi simul pietatis causâ, id velit facere. Quia votum regulariter, & nisi de contraria voventis intentione constet (quod hic non fuisse factum supponitur) censetur fieri de materia voluntaria supererogationis, & non aliàs debita, utpotè quæ est propriissima voti materia; nam nequè etiam in humanis solemus

mus alteri promittere, quod jam aliàs vel ipsi, vel alteri debemus; tali autem casu poneretur res alio jam titulo debita: consequenter non voluntaria, & supererogatoria ergò. Sed

Objicies cum *Castropal. supra citato n.* 10. *in fine*, obligatus ex voto, singulis diebus sacrum facere, potest licitè pro illis legendis stipendium accipere: vel ècontra stipendio conductus ad legendum singulis diebus sacrum, potest licitè, & validè id ipsum vovere; ergò materiæ voti non obest, esse alio titulo debitam: ergò poterit quis per peregrinationem, ad quam ex stipendio tenetur, similiter satisfacere, sicut in casibus in responsione tertia allatis.

Respondeo concedo antecedens; distinguo consequens; non obest per se loquendo, quin possit de tali materiâ fieri votum, & consequenter si sic factum sit, votum adimpletur, per opus alio titulo debitum, concedo: non obest per accidens: nego consequentiam, eò quòd regulariter loquendo, voti materia non censeatur esse intelligenda illa, quæ alio titulo debita est, nisi contrarium de mente voventis; vel ex alijs circumstantijs constet: quamquàm secundùm se, sit apta voti materia. Unde manet firma nostra illatio, quamquàm forsitan alijs placebit cum *citato Castropal.* sentire.

Inf.

Inf. ſecundò probabile eſſe, quod nonnullicum *Laym. l.* 1. *tract.* 4. *c.* 4. *de legibus n.* 7. *& cum Suarez l.* 4. *de horis can. c.* 26. *n.* 8. dicunt, quòd is, qui v. g. voto obligatus eſt peregrinari, non ſatisfaciat, ſi peregrinetur quidem liberè, ſed expreſſam intentionem habeat non ſatisfaciendi ſuo voto. Ratio eſt, quòd licet quis, juxta ſatis probabilem, & fortè probabiliorem, ſatisfaciat præceptis, & legibus ab alio latis, cum tali expreſſa intentione non ſatisfaciendi: voto tamen ſic non ſatisfiat. Ratio inquam, & ſimul diſparitas adfertur primò, quòd ſicut in voto pendet à libera voluntate, & acceptione voventis, ſe ſe obligare, ſic & ipſum adimplere: at dum alius legem fert, non eſt in poteſtate ſubditi obligari, conſequenter nec adimplere, cùm interim opus præceptum facit. Secundò, quod & ex primo ſequitur, talis vovens eò ipſo, quòd ſic nolens adimplere, exequatur rem promiſſam, cenſetur opus ad implendum, ad aliud tempus differre, vel quaſi virtualiter de novo vovere: Nam ſicut ipſi ad initium liberum erat, ſe debitorem conſtituere, & obligare, ſic in ejus erit poteſtate exequendo rem promiſſam velle, vel non velle perſeverare in obligatione ad illam. Et hoc cenſet probabile *Sanchez in decal. l.* 1. *c.* 14. *n.* 18. *& Caſtropol. tract.*

tract. 3. de legibus disp. 1. p. 17. n. 14. ad con-firmationem.

At probabiliùs cum his existimo satisfie-ri etiam voto, exequendo rem promissam cum positiva voluntate non satisfaciendi. Ratio est: quia votum (nisi contrarium d[e] mente voventis constet) obligat instar legis aut præcepti Ecclesiastici: sed his ordinari[e] satisfit (uti supponimus *ex tract. de legibus & plurimorum sententia apud Sanch. cit. n.* [...] *Castropal. cit. n.* 12. *Laym. lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 4. [...] 7. *Less. l.* 2. *de just. c.* 37. *dub.* 10. *n.* 59.) quamquàm adsit voluntas posito opere no[n] satisfaciendi: ergò. Unde eodem mo[do] negatur, quòd sit in potestate voventis sati[s]facere, vel non satisfacere voto: persever[a]re vel non perseverare in obligatione, po[st] semel re promissâ. Et ad disparitatem, [...] rationem allatam dico, quòd licet vove[ns] possit, si velit, vovendo sic se liberê obligar[e] ut non satisfiat voto, si voluntatem non [sa]tisfaciendi habeat; at regulariter non ce[n]setur sibi talem obligationem imponer[e] sed solùm instar alterius legis, ut ex libe[ra] ejus pendeat voluntate, obligari vel non o[b]ligari: nam sicut non potest positis om[ni]bus ad verum votum requisitis, pruden[ter] nolle obligari, quamquàm ipsi liberum si[t] ut ponat vel non ponat votum, & sic obl[i]getur vel non; sic etiam non potest pr[u]-

dent[er]

denter nolle satisfacere positâ re promissâ quoad substantiam, quamquâm ei sit liberum rem promissam ponere vel non, peccare, vel non peccare. Est ergò omninò inefficax talis voluntas non satisfaciendi. Atq; licet possit vovens se de novo ad id opus reiterandum obligare, negatur tamen id fieri eò ipso, quòd nolit satisfacere priori opere præstito.

Quærit tertiò MISSAUDIUS, num sibi liceat sequi sententiam CASI-BRODII?

Videtur quòd non, quia uti paulò ante in illatione prima dictum est, si non constet de mente voventis, censetur promittere rem voluntariam, & non aliàs debitam; ergò MISSAUDIUS die festivo non satisfaciet unicam missam audiendo, quia jam aliàs ex præcepto debita est. Sed contra

Respondendum est satisfacere. Sic *Castropal. tract.* 15. *disp.* 4. *punct.* 12. *n.* 6. & *Tamb. l.* 3. *in dec. c.* 15. §. 6. *n.* 4. sequuti *Suarez*, quibus consentit *Sanch. l.* 1. *in decal. c.* 14. *n.* 6. & 7. Et Ratio illorum communis est, quòd non sit credendum in simili casu (idemquè esset, si per unum solùm mensem, se ad quotidianam missam audiendam obligâsset) voluisse voventem se duplici sacro audiendo in diebus festivis obligare; finis enim extrinsecus talis voti videtur esse, ut dies non transeat sine missa, quod totum

fieret

fieret audiendo die feſtivo unicum ſacrum; ergò ad argumentum propoſitum

Reſpondetur diſtinguendo antecedens, ſi non conſtet de mente voventis neque expreſsè, neque virtualiter & interpretativè; concedo antecedens. Si non conſtet quidem expreſsè, & directè in ſe, conſtet tamen virtualiter & interpretativè ex circumſtantijs, vel fine voventis, prudentûm judicio ſaltem præſumpto; nego antecedens, & conſequentiam. Nam cùm inter omnes circumſtantias ad determinandum, & interpretandum in dubiis votum conſiderandas, primariò reſpici debeat finis voventis: atq; cùm de eo directè & expreſsè non conſtat, is prudentùm judicio, & ex verbis voti præſumendus ſit; prudenter præſumitur in præſenti caſu, quòd finis voti fuerit, ut nulla dies tranſeat ſine miſſa audita: ex quo ſatis colligitur, mentem voventis fuiſſe, ſe tantûm ad unam miſſam pro quâcunque die, adeóque etiam pro feſtivo ad aliàs debitam miſſam obligare: Cùm ſic totum ſuum ſortiatur finem, & aliunde vota interpretanda ſunt, ut quantûm prudenter fieri poteſt, minùs gravent voventem.

Quærit quartò Casi-brodius, an datum conſilium fuerit juſtum, ac æquum, ſitque in illo caſu parenti, conſenſum ſemel datum revocanti obtemperandum? ante reſponſionem

Suppono primò potuisse Religium, & sic quemquè voventem, vovere, ut ab hâc conditione, *si Pater consenserit*, votum ejus dependeret, solùm tanquàm â pura conditione, & quidem tantùm à primo consensu, vel dissensu. Vel potuisse ita vovere, ut hic consensus vel dissensus Patris, non haberet se tanquàm nuda conditio, sed simul esset quodamodò finis extrinsecus voventis, atque ut non tantùm à primo consensu vel dissensu votum dependeat. Et in præsenti quæsito quidem nihil de hoc expresè constare supponimus.

Suppono secundò, Intentionem Religii potuisse fuisse hanc, ut vel conditio illa intelligeretur de positivo, & explicito consensu Patris, vel etiã solùm de implicito consensu, quo parens sciens votum filij non contradiceret, sed simpliciter taceret. In præsenti supponitur iterum non constare de expressa mente voventis, nec circa unum, nec circa alterum modum. Itaque hic quæritur, quomodo ista conditio, *si Pater consenserit*, & consequenter ipsum votum sit interpretandum?

Suppono tertiò, quandóq;, & apud quosdam parentes, taciturnitatem posse interpretativè significare saltẽ negativum consensu: quandóq; & apud alios, mæstitiam animi,

 quod

quod ex circumstantiis quibusdam colligendum erit.

Suppono quartò. Hanc conditionem, *si Pater consenserit*, posse ex mente voventis vel significare positivum consensum Patris, vel etiam tantùm negativum ejus consensum, id est non dissensum; ita ut sensus illius propositionis conditionalis sit, *nisi Pater ægrè aut molestè ferat, ac contradicat*, & in præsenti etiam nihil expresè constat.

Suppono quintò. *Ly si* posse quandóque significare *quando*, adeóque tempus executionis, non verò conditionem.

Sup. ult. verbum *consenserit* pose significare præteritum, præsentem, vel etiam futurum consensum Patris. His præsuppositis

Videtur posito jam semel consensu Patris, valere statim, & obligare votum ingrediendi Religionem: nec obesse, quomodocunquè postmodùm Pater contradicat; adeóque consilium illud non fuisse æquum. Ratio est, quòd ille consensus pro conditione appositus, si de mente voventis non constet, sed dubium sit, an de præterito, præsenti vel futuro intelligatur, ex communi hominum his verbis utentium usu, & sensu intelligendus, & præsumendus sit de futuro: ita ut sensus sit, *si Pater consentiet*; sed quando ille consensus pro conditione appositus intelligitur pro futuro, intelligendus est pro primo

mo consensu, ita ut posito illo consensu censeatur jam adimpleta conditio, votumquè absolutum, & validum, posito autem primo dissensu censeatur non adimpleta conditio, nullumquê vòtum; ergò in praesenti ille consensus Patris pro conditione appositus, est de primo consensu, ita ut illo jam semel posito censeatur adimpleta conditio, votumquè absolutum, & validum. Subsumitur. Atqui in praesenti quaesito, jam primò positus est consensus Patris; ergò adimpleta conditio; ergò validum & absolutum votum. ma. videtur certa. mi. probatur, haec conditio est positiva, & de positivo Patris consensu, uti patet, & non tantùm de negativo, hoc est, *nisi contradixerit*; ergò intelligitur pro primo consensu, ita ut statim valeat, & absolutè obliget votum. Probatur consequentia, quia sermo simpliciter prolatus de prima vice intelligendus est, *l. boves, §. hoc sermone de verborum significatione.* Uti dicitur, *hoc sermone, ff. de verborum signific.* ubi dicitur *hoc sermone, dum nupta erit, primas nuptias significari.* Item *l. haec conditio* 29. *ff. de conditionibus, & demonstrationibus.* ibi, *haec conditio si in capitolium ascenderit, sic recipienda est, si cùm primùm potuerit capitolium ascendere*: ergò etiam haec conditio, *si Pater consenserit*, de primo consensu intelligenda erit; ergò etiam votum est absolutum, & va-

lidum, posito illo primo consensu, quemad-
modùm positus est in præsenti quæstione.
Neque obest, postmodùm revocatum esse
consensum, positúmque fuisse dissensum.
Quia primò, posita jam semel conditio non
potest tolli, seu non potest non esse posita
per dissensum subsequentem. Secundò po-
sitâ semel conditione, votum jam est abso-
lutum: ergò obligatio ejus non potest am-
pliùs esse quasi conditionata, & insuspensa.
Tertiò positâ conditione, consensus jam est
absolutus: sed consensus jam semel absolu-
tus, & acceptatus non revocatur deinde per
contrariam conditionem: ergò manebit,
ergò obligabit. Quod patet à pari, in hu-
manis, ubi in promissione conditionata ac-
ceptata, positâ semel conditione, non impe-
ditur, seu non invaliditatur promissio, per
contrariam positam conditionem: præser-
tim si conditio sit tantùm pro prima vice
intelligenda, & non habeat tractum succes-
sivum, ac sit simpliciter apposita, absque ad-
dito an revocabiliter vel irrevocabiliter.
Quod iterum confirmari potest ex variis
Authoribus apud *Sanch. de matrimonio* citatis,
qui occasione, *c. si pro te, de rescript. in* 6.
quærentes (an si providente Pontifice ali-
cui de beneficio, si Episcopi & Capituli con-
sensus accedat) docent nihil prodesse po-
riorem consensum, si Episcopus, & Capitu-
lum

lum priùs positivum dissensum præbuerint: ergò similiter è contra in nostro casu dicendum erit, nihil prodesse posteriorem Patris dissensum, ad invalidandum votum præsens, si jam priùs posuit consensum, tamquàm conditionem, in voto appositum. Quæ sententia confirmari etiam potest, à paritate rationis ex pluribus Authoribus, qui idem tenent, quando similis conditio est adjecta in sponsalibus, vel contractu matrimonij. Atque hanc sententiam tenet post *Azor*, *Sanch. l. 4. in decal. c. 23. n. 14 quem sequitur Lay. l 4. tract. 4 c. 6. à n. 3* sed quidquid sit de hujus sententiæ probabilitate, quam ab extrinseca authoritate suspicio. Mihi videtur

Respondendum. Sed ante supponendum, quòd vovens præfato modo, quando apponit illam conditionem, *si Pater consenserit*, sub eo sensu, nisi Pater molestè, & ægrè ferat, velit vitare molestiam Patris, non tantùm pro prima vice, sed etiam successivè pro futuro tempore. Hoc posito

Respondendum inquam est, non obligâsse votum, positâ deinde constante revocatione primi consensûs jam dati, adeóque fuisse prudens consilium. Ratio est, quòd si conditio sit negativa, scilicet *nisi Pater ægrè ferat*, vel *si Pater non contradicat*, non censeatur adimpleta conditio, quamquàm pater

primò conſentiat, deinde verò conſtanter contradicat, conſequenter non obligare votum ſtante contradictione; ſed in præſenti conditio illa *ſi Pater conſenſerit* eſt potiùs negativa, & facit hunc ſenſum, niſi Pater ægrè ferat, vel ſi Pater non contradicat: ergo in præſenti non cenſetur ſtatim adimpleta conditio, ſi Pater primò conſentiat, poſtmodùm verò contradicat, conſequenter etiam non cenſetur obligare votum ſtante contradictione. Ma. probatur ex ipſo *Sanch. l.4. c.23. n. 34.* ubi credit, quòd ſi votum ſit ſub conditione negativa emiſſum, e.g. in præſenti caſu, voveo ingredi Religionem, ſi Pater non contradixerit, eò quòd nolit vovens Patrem moleſtià afficere, tunc ſi Pater primò conſenſerit quidem, ſed poſtea ante ingreſſum in religionem contradicat, concedit inquam (ut ipſe loquitur) quòd votum non obliget, quia hanc conditionem negativam, dicit eſſe univerſalem, cenſeríque durare, nec perfectè impleri, niſi Pater non contradixerit remanente in eodem ſtatu, quia inquit, ſemper etiam durat, cavere eandem paternam triſtitiam. Quo non tantùm allatæ rationis ma., ſed etiam ſuppoſitio im̃ediatè ante hanc reſponſionem adducta ſatis probatur. Nunc probatur & mi. ex doctrina ejuſdem *Sanch. qui c. cit. n. 14.* nobiſcum ait primò, quòd ſi Pater de tali voto filij conſcius

scius taceat, nec explicet consensum, nec dissensum (supponit tamen & ipse, hanc taciturnitatem neque in circumstantiis significare mœstitiam) probabiliùs censeri adimpletam conditionem, votúmque obligare, neque requiri positivum, & expressum consensum; quia dum res anceps est, similis conditio à filio posita eò tendit, ne Pater contradiceret, aut ægrè ferret. Similiter *idem eodem n.* ad finem etiam nobiscum ait, quòd si intentio voventis fuit, non afficere mœstitiâ Patrem (quam intentionem credit à communiter accidentibus in dubio præsumendam esse, quia id dicit communiter intendere filios per appositionem talis conditionis) obligare votum, & valere, quamquàm Pater ante, vel tempore voti, seu antequàm conscius possit præbere assensum vel dissensum, obierit. Ex quibus sic formari potest argumentum ad probandam prædictam nostram mi. In præfato voto, conditio à filio apposita, scilicet *si Pater consenserit*, eò tendit, ne Pater contradicat, aut ægrè ferat: ergo potiùs involvit & petit negativum Patris consensum. Item à communiter accidentibus in dubio præsumendum est, in tali casu, voventis seu filiorum intentionem, per appositam conditionem esse, non afficere molestiâ Patrem: (quod item tantùm negativum Patris consensum

involvit) sed in præsenti casu est tale dubium; ergo. Mi. iterum probatur, quia partim verba secundùm litteram significant positivum Patris consensum, partim verò ex communiter accidentibus, & præsumptâ filiorum intentione significant solam evitationem molestiæ paternæ, adeóque negationem dissensûs, seu consensum negativum; ergò. Aliunde verba magis interpretanda sunt, juxta communem intentionem loquentium, quàm secundùm litteram. Confirmatur responsio iterum ex eodem *Sanch. n.* 13. ubi dicit, si conditio illa, *si Patri placuerit* fuit de præterito, & Pater aliquamdiu consensit, & postmodùm iterum, ante factum tamen votum, dissensit, standum esse posteriori; ergo similiter quando conditio est de futuro. Hanc sententiam verissimam credit, & succinctè insinuat *Castrop. tract.* 15. *disp.* 1. *p.* 17. *n.* 3. eandémque tenet compendiosè & solidè *Tamb. l.* 3. *c.* 15. §. 6. *n.* 7. 8. 9. *&* 10. Ex his

Inf. primò. Circa suppositiones ad initium quæstionis adductas. Illam conditionem appositam *si Pater consenserit*, non se habuisse tamquam nudam conditionem, sed simul tamquam finem extrinsecum voventis; quia illà conditione præsumitur tamquam ex communiter contingentibus, voluisse evitare molestiam Patris, adeóque non

non involvisse tantùm primum Patris consensum vel dissensum; sed & secundum.

Inf. secundò. Ex eadem præsumptione intentionem Religii fuisse virtualiter fuisse, sufficere implicitum Patris consensum, seu taciturnitatem, dummodo illa ex circumstantijs non judicaretur, significare mœstitiam.

Inf. tertiò. Intentionem Religii fuisse, per illam conditionem appositam, evitare molestiam Patris, & ne votum ingrediendi Religionem ægrè ferat.

Inf. quartò. Pari formiter ad nostram responsionem discurrendo, quòd si Pater priùs contradixisset, & postmodùm consensisset, adimpletam fore conditionem, adeóque obligâsse votum.

Ad argumentum in contrarium allatum respondetur concedendo maj. disting. min. censetur pro primo consensu tantùm, nego mi. pro primo & alio subsequenti concedo mi. ejusdemque min. Alteram partem iterum distinguo, censetur pro primo consensu adimpleta conditio imperfectè transeat min. perfectè nego mi. & sub eadem distinctione consequentiam, & subsumptum. Ad probationem minoris patet satis ex ratione nostræ responsionis. Ad leges allatas ajo fortè non deesse contrarias; deinde ad primam dico ibi Ly *dum* significare po-

tiùs tempus ; quòd si significet conditionem, significat illam ut purè talem. Ad secundam patet, quòd loquatur de pura & simplici conditione : nos autem jam ostendimus, illud *si Pater consenserit*, ex communiter accidentibus habere simul rationem finis, evitandæ molestiæ Patris. Ad reliqua, & quidem ad primam rationem, quâ probatur, non obesse subsequentem dissensum, seu contradictionem ; Respondeo illam veram esse, sed nego suppositum, quòd sit perfectè posita conditio juxta intentionem præsumptam voventis RELIGII ; adeóque, licet non possit fieri non posita, potest tamen tolli quoad effectum. Ad secundam ajo positâ conditione perfectè, votum est perfectè absolutum concedo, secus nego. Ex quibus etiam solvuntur reliqua.

Quærit quintò : an benè resolverit casum, TER-IBIL-IS, verúmque sit, quòd vovens jejunium, illo semel violato, possit absque nova culpa, pro libitu eo die vesci carnibus? Ante resolutionem

Suppono primò : non esse difficultatem, quin violato semel voto jejunandi per iteratam refectionem, vel per esum carnium, possit deinde eodem die, absque nova culpa, sæpiùs se reficere aliis cibis, exceptis carnibus, de quibus solis est quæstio præsens, an illas vovens jejunium, illo jam semel violato

lato

lato possit eodem die sæpius absque nova culpa comedere.

Suppono secundò: cum communi DD. Vota, si de mente expressa non constet, esse interpretanda ad modum præceptorum Ecclesiasticorum.

Suppono tertiò: has propositiones, & vota inter se differre: nempe voveo jejunium; & voveo abstinentiam à carnibus, sive non comedere carnes. Est enim unum affirmativum, alterum negativum. His suppositis.

Videtur dicendum, fuisse benè resolutum dictum casum, & licere absque nova culpa violato semel jejunandi voto, sæpius eodem die carnes comedere. Ratio & fundamentum est ex ipsa diversitate, seu disparitate, quæ est inter votum jejunandi, & præceptum Ecclesiasticum, jejunium quadam die præcipiens, etsi quo ad alia servanda sit suppositio secunda.

Præceptum enim Ecclesiasticum de jejunio observando semper duo involvit præcepta distincta, unum positivum de jejunio, seu unica refectione, alterum negativum non comedendi carnes; ita quidem, ut separatim obligent, uti patet, cùm juvenes ante vigesimum primum annum completum, non obligentur jejunare propriè loquendo, teneantur tamen abstinere ab esu

car-

carnium. Unde fit, quòd vi præcepti Ecclesiastici de jejunio propriè dicto, non teneamur directè, & per se abstinere à carnibus, sed solùm indirectè, & accessoriè, in quantum abstinentia à carnibus, necessaria est ad jejunium Ecclesiasticum, adeóque vi hujus præcepti præcisè, obligarentur solùm abstinere à carnibus ij, qui obligati sunt propriè jejunare, seu unicâ per diem refectione contenti vivere. Quia tamen præceptum Ecclesiasticum de jejunio, semper involvit etiam præceptum alterum distinctum negativum, scilicet non comedendi carnes, ideò vi hujus præcepti negativi, tenemur etiam directè, & per se diebus jejuniorum ab Ecclesia præscriptis, à carnibus abstinere; ita ut aliàs à jejunio excusati, non eò ipso sint excusati ab abstinentia à carnibus.

Aliud est in voto, in quo non duo vota incurrunt; sed solum & unicum de jejunando, quod abstinentiam à carnibus tantùm (& non aliter ac præceptum ipsum Ecclesiasticum de jejunando præcisè, & secundùm se solum sumptum, secluso præcepto negativo) accessoriè, & indirectè involvit, quatenùs conducit ad jejunium servandum, juxta superiùs dicta.

Ex quibus sic formari potest argumentum. Quando materia voti redditur impossi-

possibilis, cessat obligatio voti, durante impossibilitate; sed voventi jejunium, eóque semel violato redditur pro illa die materia seu jejunium impossibile; ergò illâ die cessat obligatio. Consequenter poterit toties, quoties licitè comedere. Maj. est comunis omnium. min. pariter est communis, consequentiæ pariter saltem quoad plures refectiones non sunt dubiæ, sed legitimæ. Quòd autem etiam carnes in proposito quæsito licitè deinde comedere possit illo die. Probatur, accessorium sequitur suum principale; sed abstinere â carnibus est in voto jejunii accessorium ad ipsum jejunium; ergo sequitur principale, seu ipsum jejunium. Ma. iterum est communis: min. patet ex dictis à pari de præcepto Ecclesiastico, de jejunio ut præcisè tali, uti antecedenter dictum est; ergo. Subsumitur, ast jejunium (uti cônstat) est ulteriùs impossibile pro eo die, quo jam violatum est, adeóque non ampliùs sub obligatione; ergò & abstinentia à carnibus, quæ est accessoria, & conducens ad jejunium illius diei, non erit ampliùs sub obligatione: ideò enim obligaret, quia conduceret ad jejunium servandum, & quatenùs est accessoria; sed non ampliùs conducit, quando jejunium est impossibile; ergo licebit toties, quoties comedere.

Quæ ratio confirmari poteſt ex eo, quòd ſi abſtinentia à carnibus in voto jejunij non ſe haberet ſolùm per modum acceſſorij; ſequeretur, quòd Ter-ibil-is in noſtro caſu, quocunquè modò deobligatus à jejunio, quoad abſtinentiam plurium refectionum, non fuiſſet deobligatus quoad abſtinentiam à carnium eſu; conſequenter ſi votum non fuiſſet factum in honorem diei, ſeu in diem, quo finiatur tota obligatio. Sequeretur inquam, quòd bis teneatur à carnibus abſtinere, præter vel contra ſuam mentem, quam habuit vovendo; teneretur enim primò illo die, quo tantùm eſſet excuſatus à jejunio ſtrictè tali; ſecundò illo die iterum, quo vellet & deberet reſarcire, ſeu potiùs verè adimplere ſuum votum, antecedenter quomodocunquè impeditum, quod eſt admodùm durum in votis, quæ potiùs favorabiliter interpretari deberent.

Confirmatur iterum à contrario, ſi voviſſet Ter-ibil-is expreſsè abſtinentiam à carnibus, teneretur abſtinere ſemper, & toto die, quamquàm jam ſemel jejunium violâſſet, quia tunc haberet ſe ſicut præceptum negativum, quo præcipitur abſtinentia à carnibus, quod prædicato diſtributionem tribuit, & pro omni hora diei prohibet carnes: eodem enim modo abſtinentia ſemel violata eſt adhuc poſſibilis, ſic in præcepto

cepto: ergò cùm hanc abstinentiam expressè non voverit, sed solùm jejunium, illo semel facto impossibili, obligatus non erit ad abstinendum ulteriùs eo die à carnibus propter rationem supra datam. Hanc sententiam tenet *Sanch.* ut probabiliorem *l.* 4. c.11.*n.*42. contra *Azor*, & *Suar.* *Sanch.* sequitur *Laym. l.*4. *tract.* 4. *c.* 3. *n.* 3. dicens non esse improbabilem. Eandémque tenet *Tamb. l.* 3. c. 15. §. 6. *n.* 11. Nec videtur omninò rejicienda, propter auctoritatem tantorum virorum, præsertim si quis speculativè potiùs illam vellet defendere. Attamen nobis pro praxi

Respondendum est, & dicendum cum *Suarez. l.*4. *c.* 7. *n.* 12. quem sequitur *Castrop.* non posse voventem jeiunium, illo semel violato (vel si aliunde à jejunio propriè tali excusatus sit) comedere carnes absq; nova culpa, adeóque Casi-Brodium non benè solvisse casum propositum. Ratio est, quòd votum, si contrarium ex mente voventis non constet, sit interpretandum ad morem præcepti Ecclesiastici; sed hic ex mente voventis non constat contrarium; ergò. Subsumitur, sed præceptum Ecclesiasticum de jeiunio observando, ita involvit abstinentiam à carnibus, ut semper, & pro semper illam in die jeiunij desideret; ergò cùm votum, dicto modo imitetur Ecclesiasti-

clesiasticum præceptum, similiter involvet abstinentiam à carnibus semper, & pro semper in die, quo ex voto jeiunandum est; consequenter toties vovens peccabit, quoties carnes comederit:

Quod confir. principale quod est in jejunio, est abstinentia à carnibus, non verò abstinentia à pluribus refectionibus per diem; ergò licet violato jejunio sit excusatus ab abstinentia plurium refectionum per diem, quia tamen adhuc manet principale id, quod est negativum, scilicet non comedere carnes, ad id obligatus manebit. Quòd autem principale in jejunio sit abstinentia à carnibus, colligitur ex eo, quòd excusatus ab abstinentia carnium, etiam sit excusatus ab abstinentia plurium refectionum; non è contra excusatus ab abstinentia plurium refectionum est excusatus eò ipso ab abstinentia à carnibus.

Probatur vel confirmatur responsio ulteriùs. Votum obligat instar præcepti Ecclesiastici; sed præceptum Ecclesiasticum de jejunio servando substantialiter includit, seu præsupponit tamquâm principale quid, præceptum negativum distinctum de abstinentia à carnibus; ergò etiam votum jejunandi saltem virtualiter, & implicitê illam abstinentiam includit, vel præsupponit tamquàm prncipale; ergo vovens virtualiter & impli-

implicitè judicandus est vovere, quasi distincto & præsupposito voto, illam abstinentiam à carnibus; consequenter toties quoties comederit carnes, peccabit, non obstante quòd jam semel violatum sit jejunium.

Ad argumenta contrariæ sententiæ, quam *Suar. cit. loco* vocat absurdissimam, & contra omnes. Resp. & quidem ad explicationem diversitatis seu disparitatis inter præceptum Ecclesiasticum jejunandi, & votum jejunandi dico, quòd sicut præceptum Ecclesiasticum jejunandi involvit, seu præsupponit potiùs, præceptum distinctum abstinentiæ à carnibus tamquàm principale ad jejunium; ita & votum jejunandi eò ipso, quòd vovens in dubio censeatur vovere jejunium modo Ecclesiastico, implicitè & virtualiter involvet, seu præsupponet promissionem abstinentiæ â carnibus more Ecclesiastico, quasi distinctam; unde disparitas in hoc nulla, sed adhuc paritas & similitudo. Ad argumentum inde formatum, distinguo mi., voventi jejunium, eóque semel violato, redditur illa materia, seu jejunium impossibile, secundùm aliquam partem, concedo mi., secundùm se totum, & omnia, quæ includit, nego mi., & sub eadem distinctione utrásque consequentias. Ad probationem consequentiarum, quoad esum carnium dico, abstinentiam à carni-

bus esse principale, quod jeiunium importat, quia semper, quando est jeiunium, supponitur abstinentia à carnibus, non verò è contra, quando est abstinentia à carnibus, supponitur etiam jeiunium. Adeóque quamdiu adhuc principale promissum servari potest, servari debet, utpotè promissum saltem implicitè, & virtualiter, & ad modum negativorum obligans pro semper. Ad confirmationem dico, concedendo quòd id sequeretur, sed id foret planè per accidens, neque ita durum, cùm sit juxta id, quod promisit saltem implicitè, adeóque non contra voventis voluntatem & mentem.

Quærit sextò: An vovens jeiunium in pane, & aqua quadam die, teneatur post violatum jam votum, adhuc sub illa forma eadem die jeiunare; adeóque an Cerinymphæ data sententia tuta fuerit?

Suppono primò: si constet de mente voventis, quòd *tantùm* hanc formam voverit, ita ut per modum unius æquè principaliter importati voluerit comprehendere & jeiunium, & hanc determinatam positivam formam, In Pane Et Aqua, sine omni alia forma; tunc violato hoc solo jejunio, seu ab eo solo aliunde excusatus, excusatur etiam ab omni alia jeiunandi forma, nec peccat deinceps contra votum, quidquid

quid comederit, vel biberit illo die? Quia jam illo die illa forma *tantùm*, & secundùm se præcisè promissa, est impossibilis, & alia non est promissa. Si autem constet de mente voventis, quòd per hoc non tam hanc formam *tantùm* positivam, jeiunandi in pane & aqua promiserit, quàm id, quod in ea forma est negativum, scilicet abstinentiam ab omni alio cibo, & potu; seu negationem omnis cibi, & potûs, præter panem & aquam, idque principaliter, tunc violatâ hâc solâ jeiunandi formâ, e. g. comedendo cibos quadragesimales debitâ horâ, tenebitur adhuc toto die abstinere, & sub dicta forma jeiunare, ita ut contra votum peccet toties, quoties aliquid aliud comedat. Ratio est, quia talis abstinentia est per modum negativi, ita, ut per eam denegetur omnis alius esus, & potus pro toto die distributivè, secundùm naturam præceptorum negativorum; adeóq; sicut potest violatà semel tali abstinentià, adhuc abstinere, ita peccabit non abstinando toties, quoties contra votum. Sicut, si vovisset expresè abstinentiam, seu negationem omnis alterius cibi, & potûs.

Suppono secundò: quòd si non constet de mente voventis, qui simpliciter vovit jejunium in pane & aqua, idque tali modo servare non possit, teneatur juxta commu-

nem jeiunare jeiunio Ecclesiastico propriè tali, pro more tamen patrio consueto (intellige vel sine, vel cum lacticinijs, prout mos Patriæ patitur) & ob consequentiam doctrinæ priori quæsito traditæ, si non possit quidem sic, nempe quoad unicam refectionem, tenebitur saltem vi voti (si aliunde possit) abstinere à carnibus. Quæ etiam intelligenda sunt, si violavit illud votum; vel primò violando tantùm hanc formam, & tenetur ad Ecclesiasticum: vel si etiam hoc violavit, quoad unicam refectionem, tenebitur ad abstinentiam â carnibus. Quia nempe hæc forma, seu qualitas jeiunandi, censetur in voto simpliciter sic promisso, quando contrarium non constat, esse dependenter, necessariè ad jeiunium Ecclesiasticum tamquàm principale promissum; non verò ècontra, quasi jeiunium Ecclesiasticum in tali casu haberet se accessoriè, & dependenter à tali forma, qualitate aut modo jeiunandi. Unde patet, quid ècontra sit dicendum in tali casu, quando quis violavit suum hoc votum, e. g. per comestionem carnium, vel per frequentiorem refectionem per diem, aut si hoc modo jeiunare non possit, an nempe teneatur nihilominùs ad jeiunandum eodem die sub hac forma, & modo.

Suppono

Suppono tertiò: in hoc voto jeiunandi in pane & aqua, dari parvitatem materiæ, ita ut non in quacúnque quantitate sumpto alio cibo, vel potu, illud ex toto violetur, qualem parvitatem materiæ judicat *Tamb.* esse unicum vini temperatum haustum. Hæ suppositiones colliguntur ex varijs Auctoribus *Suar. de votis ubi supra, Sanch. l. 4. in decal. c. 11. n. 45. Laym. l. 4. tract. 4. c. 2. n 3. punct. 6. Castrop. tract. 15. disp. 1. p. 12. n. 19.* Superest difficultas, & quæstio proposita decidenda, circa quam

Videtur esse veram, & tutam sententiam Cere-Nymphæ datam. Ratio est, quòd quando principale in voto, per violationem redditur impossibile, cessat pro illo tempore obligare accessorium; Sed violato semel v. g. per aliquot haustus vini hoc voto jeiunandi in pane & aqua, principale est ulteriùs eo die impossibile, ergò accessorium non obligat. Ma. est communis sententia; min. probatur, principale in hoc voto, & hac forma jeiunij, est jeiunium cum solo pane, & aqua; sed hoc semel violatum est deinceps servatu impossibile sub tali forma; ergò. Ma. probatur, nã si quid aliud in hoc modo jeiunandi esset principale, esset abstinentia ab omni alio cibo, & potu: Sed hæc non est principale: ergò. Ma. admittitur, min. probatur, hæc abstinentia tan-

tùm indirectè, & quatenùs necessaria ad hãc jeiunij formam vi talis voti promittitur, ergò. Antecedens probatur, à paritate jeiunij Ecclesiastici, quòd abstinentiam à pluribus, quàm una per diem refectionibus tantùm indirectè & accessoriè importat, adeóque non obligat ad abstinendum à pluribus refectionibus eodem die, si semel violatum sit; ergò similiter discurrendum de nostra jeiunandi forma. Deinde si in tali voto directè & principaliter intenderetur, vel includeretur abstinentia ab omni alio cibo, & potu, posset talis vovens toties quoties per diem bibere aquam, & comedere panem absque peccato; sed hoc non admittitur: ergò. Atque hanc tenet *Sanch. loco cit.* & est satis probabilis. Sed

Contraria scilicet, uti insinuat *Castrop. cit.* non videri amplectendam dictam sententiam, adeóque CERE-NYMPHAM violatâ semel illâ jeiunandi formâ, & constante adhuc obligatione jeiunandi more Ecclesiastico, juxta dicta in suppositione secunda, obligari nihilominùs adhuc eodem die abstinere ab omni alio cibo, & potu; est æquè probabilis. Ante probationem autem

Notandum: votum jeiunandi in pane, & aqua, dum de mente voventis non constat, si accipiatur juxta totam suam latitudinem, principaliter importare jeiunium more Ec-

re Ecclesiastico, modum autem illum, & formam in pane, & aqua solùm accessoriè; & in hoc conveniunt DD. Sin verò accipiatur, quatenùs tantùm dicit hanc formam, & modum jeiunandi, principaliter importare abstinentiam ab omni alio cibo, & potu; non verò ipsum jeiunium in pane & aqua, sive ipsam sumptionem panis & aquæ tantùm. Cuius ratio est primo, quòd sicut jeiunium substantialiter importat abstinentiam quandam, ita hæc jeiunandi forma substantialiter importabit abstinentiam ab omni alio cibo, & potu. Per id enim aliquid essentialiter, & substantialiter (adeóque principaliter) constituitur, per quod primò distinguitur ab omni alio; sed per abstinentiam ab omni alio cibo, & potu, primò distinguitur dicta jeiunii forma ab omni alio: ergò. Min. iterum probatur, quia sumptio panis, & aquæ secundùm se, præcisâ dictâ abstinentiâ, utpotè indifferens ad hoc, vel illud jeiunium, vel ad planè non jeiunandum, non est primo distinctiva huius jeiunij ab omni alio; & aliud primò distinctivum in hac jeiunandi forma non reperitur: ergò. Secundò hoc jeiunium servatur, licet quis nec panem edat, nec aquam bibat; ergò non involvit principaliter jeiunium in pane & aqua, seu usum horum. Tertiò jeiunium in pane & aqua, necessariò

& substantialiter involvit particulam *tantùm*, vel huic æquivalentem; ergò & eodem modo abstinentiam omnis alterius cibi, ac potûs, quia hoc ipsum est jeiunium in pane & aqua. Quibus positis.

Probatur hæc sententia, quamdiu in aliqua forma ieiunandi, principale est adhuc servatu possibile, tamdiu vovens illam formam, est obligatus eandem servare: sed violatâ etiam præfatâ jeiunii forma modo supra dicto, adhuc toto die semper, & pro semper principale illud est servatu possibile, ergò vovens illam formam, tenetur ad eam, quamquàm jam semel modo dicto violata sit. Ma. constat. min. probatur, principale in hac jeiunandi forma (uti paulò ante in Notando est probatum:) est abstinentia ab omni alio cibo & potu: hæc quotiescúnque per diem fuerit violata, semper adhuc servari potest, cùm semper adhuc aliquis ab omni alio cibo, & potu abstinere possit; ergò vovens talem formam illâ semel violatâ adhuc servare eo die debet.

Pro solutione argumentorum primæ sententiæ facit, quod in Notando secundæ sententiæ diximus: unde negatur primò, quòd violatâ semel illâ formâ jeiunii, ita ut maneat adhuc obligatio ad jeiunium Ecclesiasticum juxta dicta, fiat principale illius formæ impossibile pro eo die. Quo etiam sol-

solvuntur reliqua pro illa sententia adducta. Ad Instantiam, & paritatem de jeiunio Ecclesiastico, dici potest, præterquàm quòd id habeatur ex communi omnium DD. sententia, non autem sic conveniant in præsenti difficultate; quòd disparitas sit, quia in forma jeiunandi in pane, & aqua, substantialiter involvatur particula *tantùm* ex voventis intentione, id autem non contingat in jeiunio Ecclesiastico, ex jeiunantis intentione. Ad ultimum assero id verum esse, quantùm præcisè hæc jeinnandi forma secundùm se spectatur, neq; esse absurdum; non tamen admittitur id, neq; sequitur, in quantum hæc jeiunandi forma secundùm totam suam latitudinem spectata, etiam involvit, secundùm dicta in suppositionibus, principaliter jeiunium Ecclesiasticum. Imò posset quis dicere, quòd ex sententia *Sanch.* sequatur, quòd violans solùm illam formam prædictam, possit deinde absque novo peccato justum prandium ex aliis cibis non vetitis sumere, quod videtur laxum.

Pro solutione autem secundæ sententiæ, negandum est totum notandum pro illa allatum, nam licet jeiunium Ecclesiasticum verè sit jeiunium, importans etiam abstinentiam à pluribus refectionibus, involvit tamen istam abstinentiam solùm tanquàm

accessorium ad principale, nempe unam refectionem; quâ per plures refectiones factâ pro illa die impossibili, cessat & obligatio abstinentiæ â pluribus refectionibus eo die: ergò similiter in nostro casu discurrendum erit. Ex quo satis solvuntur fundamenta hujus secundæ sententiæ; & simul patet, quid ad solutiones ex ea sententia contra primam sententiam factas, dicendum sit.

Placet tandem in utriúsque sententiæ confirmationem, afferre verba *Tamb. l.* 3. *c.* 15. §. 6. *n.* 17. ubi de hac jejunandi forma agens sic habet: Ego assentior *Sanch.* si sermo sit de voto jejunandi in pane & aqua: *Castro* autem, si de voto abstinendi eo die à vino agitur. Nam in his duobus votis, licèt videatur magna affinitas, quia tamen in altero est negatio bibendi vinum, quod est malignantis naturæ; in altero est affirmatio bibendi aquam, videtur adesse non spernenda diversitas, quam pro doctioribus inivisse sit satis. Hæc ille. Et rectè; sed, de quo sit principaliter sermo in hac jejunandi forma, scilicet in pane & aqua, quando de mente voventis non constat, non tangit.

Quæritur septimò. Num ANXIENÆ bene consuluerit, possitquè vovens rem unam in singulari (quarum v. g duas habet) indeterminatè tamen, & vagè, unâ rerum illarum, vel cæteris illis rebus ante voti exe-

cutio-

cutionem pereuntibus, dare tantùm dimidium residuæ, ut voto satisfaciat? ante resolutionem

Suppono voventem unam rem sic indeterminatè, & vagè, ita ut sensus sit, voveo v. g. capellam unam, quæcúnque tandem illa ex meis sit; posse dare ex pluribus illis, quas habet, quam maluerit; nisi ex verbis voti, vel fine ejusdem, consuetudine, vel aliis circumstantiis determinatio quædam facienda sit. Sic qui vovit Ecclesiæ dare Calicem, ad missæ celebrationem, debet dare argenteum pro more, & usu illius Ecclesiæ, quamquàm habeat & calices argenteos, & staneos. Similiter, qui vovit dare vinum, vel triticum pro celebratione, debet dare ejusdem bonitatis, ut aptum sit, & tanto sacrificio condignum. Quid verò, quando ante talis voti adimpletionem res altera, sive omnes reliquæ illius speciei perierunt, remanente solùm unicâ?

Videtur dicendũ æquum fuisse consilium illud, & satisfieri hujusmodi voto dando solùm dimidium rei superstitis, *Sic Sanch. l. 4. in decal. c. 13. n. 19.* secutus *Molinam à se cit. tom. 2. de just. disp. 270. Col. 3. vers. quando res una &c.* Et ratio est primò, fundata in diversitate, quam esse ait inter votum, ac promissionem propriè disjunctivuam, v. g. voveo hunc, vel illum equum ex meis duobus;

bus; & inter votum ac promissionem rei indeterminatæ quoad individuationem, v.g. voveo dare equum ex meis; quia nempe in voto propriè disjunctivo, obligatio promissionis cadit in utramq; partem; non sic in voto, aut promissione rei singularis, sed quoad individuum non determinatæ. Nam in hoc voto, promittitur tantùm *una* res v. g. capella, nescitur autem qualis inter eas, quas habet; unde cùm non omnes venerint sub obligationem promissionis, pereunte alterâ, non debet dici superstitem esse totam sub obligatione: sed erit dividenda (saltem quoad pretium, si res absque destructione dividi non possit) quia solùm tamquàm pars videtur fuisse sub obligatione. Secundò probari potest. Res v. g equus, vel in nostro casu capella, quæ remansit, non est magis promissa per illud votum, quàm altera, quæ perierat; consequenter non est etiam magis debita, quàm quæ perierat; si ergò æqualiter fuit debita illa, quæ perierat, debet perire partim ei, cui fit promissio, partim promittenti, & sic superstes, partim erit voventis, partim ejus, cui est facta promissio; adeóque dividenda. Atque hanc, uti sequentenm sententiam vocat probabilem *Tamb. l. 3. in decal. c.* 15. §. 7. *n.* 4. Sed contra

Respondendum & dicendum est, debere id, quòd residuum est integrum dari, consequenter

quenter in nostro casu, Anxienam obligatam esse ad integram superstitem capellam (loquimur autem semper, nisi aliunde interveniat quædam excusatio vel deobligatio) *Castrop. de votis tract.* 15. *disp.* 1. *p.* 12. *n.* 26. citans pro se *Bonac. disp.* 4. *q.* 2. *p.* 6. *n.* 34. Ratio illi est, quia in tali voto res nulla, seu nulla capella est determinatè promissa, sed quævis est promissa sub disjunctione: præstat enim hoc votum, hunc sensum, dabo unam ex capellis, quas habeo, dabo inquam hanc vel illam; adeóque cùm remanente unâ capellâ, remaneat tota materia sufficiens ad voti executionem, tenebitur vovens votum integrè implere. Hæc ille. Ex quo patet apud eum, illa duo vota, aut promissiones non esse diversas, sicut ex mente *Sanch.* prædicto modo; sed illum argumentari, quasi à pari sic, quia in voto disjunctivo utraque pars est promissa, & sub obligatione, quàmvis cum libera electione voventis; tenetur vovens pereunte alterâ residuam totam dare, ut satisfaciat: ergò cùm in voto, de quo agitur, quælibet res, vel capella sit promissa, quàmvis sub disjunctione, & libera voventis electione; pereunte alterâ, illa quæ residua est, debet tota dari. Sed quidquid sit de diversitate horum votorum vel promissionum, mihi hæc sententia etiam probatur. Primò dando

ipsi

ipsi *Sanch.* in voto, de quo quærimus, promitti tantùm unam solam capellam earum duarum, quamquâm ignoretur quæ sit, adeóque non esse utramque simul sub obligatione, sic. Una capella in hoc voto est tota promissa; ergò alterâ depeditâ, superstes debet integra dari. Antecedens probatur, quia ante deperditam capellam, si Anxiena voluisset satisfacere voto, debuisset totam dare, quamquàm cum libera electione quam; ergò una capella fuit tota promissa. Subsumitur, sed manet eadem omninò promissio, sive pereat, sive non, altera capella: ergò adhuc una capella tota manet sub obligatione: ergò tota erit danda. Probatur secundò, & confirmatur ratio adducta, ab instantia ex ipso *Sanch. hic loco cit. n.* 34. ait, quòd vovens in nostro casu, ita unam rem certam vagè, & indeterminatè, factâ semel perfectâ electione & determinatione dandæ rei; quæ electa fiat deinde impossibilis, adhuc teneatur aliam eligere, & dare: quia nempe tale votum quoad substantiam rei dandæ, ut in nostro casu capellæ, est determinatum prorsus, & disjunctio illa implicita, in eo reperta, cadit in solam circumstantiam, scilicet qualis capellæ. Unde electio & determinatio facta de hac danda capella, id tantùm præstat, ut quis præcisè teneatur ad id quòd elegit, non autem absolvit

absolvit ab obligatione eligendæ alterius, dum electa dari nequit, eò quòd substantia rei promissæ adhuc maneat obligans, quam facta electio non potuit variare, nec efficere, quin voto non impleto in re electa, id obliget ad alteram.

Ex quibus sic fieri potest argumentum: factà semel perfectà designatione determinatione, & electione dandæ rei, illà deinde factà impossibili, teneor adhuc vi talis voti ad dandum alium v. g. equum, uti exemplificat *Sanch.*; ergò etiam in nostro casu pereunte etiam ante factam perfectam designationem unâ capellà, Anxiena tenebitur dare alteram, & quidem totam; quia sicut equus dimidius nõ est equus, quem tamen simplicìter dandum docet ibidem *Sanch.* sic dimidia capella, non est capella. Quod confirmatur ex eodem ulteriùs. Ideò factà illà perfectâ designatione tenetur dare alium equum, licet designatus perierit, quia obligatio, sive votum fuit quoad substantiam determinatum, & disjunctio implicitè involuta, solùm fuit circa qualitatem, & circumstantiam: sed etiam in casu quo versamur votum, & obligatio sic se habet; ergò etsi ante designationem capella perierit, tenebimur adhuc ad aliam totam; quia votum quoad substantiam fuit determinatum, & de tota capella. Quod probatur: designatio

natio, ut ipse ait, non potuit variare substantiam rei promissæ, ejúsque obligationem: ergò sicut ante designationem obligatio fuit de tota capella, ita etiam post illam designationem, & interitum v. g. rei designatæ. Subsumo. Sed neque obligatio, & substantia rei promissæ variatur per interitum alterius rei, ante designationem factum; ergò sicut antea fuit obligatio ad rem vagè promissam totam, ita erit postea.

Ad argumenta contrariæ sententiæ, & quidem ad primum dico, in promissione rei singularis, sed vagè, venire quidem tantùm unam & non omnes sub obligationem, attamen venire illam totam uti probatum est; ergò danda erit tota, non dimidiata. Ad secundum respondetur, exinde quòd una non sit magis debita, quàm altera, non legitimè inferri, ergò alterâ pereunte debet altera superstes dimidiata dari: sed potiùs contrarium, quia ex eo, quòd æqualiter una sit debita, & ante interitum unius debeat dari una tota: ergò etiam post interitum, quia per hoc non mutatur semel facta promissio. Ex dictis

Collig. primò. In voto propriè disjunctivo, factâ postmodùm perfectâ electione unius partis, si illa electa fiat impossibilis &c. non manere voventem ex post facto obligatum ad exequendum votum in altera

parte

parte. Aliter discurrendum est de voto capellæ vagè, & indeterminatè promissæ. Uti patet ex *Sanch.*

Collig. secundò etiam in voto propriè disjunctivo attendendum esse, an res promissa sit absolutè in temporis honorem, ita ut obligatio cum ipso tempore exspiret, v.g. voveo rosarium, vel in vigila S. Joannis Baptistæ, vel in vigilia S. Laurentii, ex speciali devotione erga has vigilias; nam in tali casu verum manet, quod in præcedente colligendo dictum est. Sin autem res promissa non sit in temporis honorem; sed tantùm ut tempus addatur per modum signi seu termini, quo debeat incipere obligatio, & ultra quem non liceat differre obligationem, v.g. voveo jejunium hâc, vel sequenti septimanâ; tunc si factâ designatione, & determinatione temporis, illo tempore non sit impleta res promissa v.g. jejunium, aut reddatur impossibilis, vel inepta &c. pro tempore designato tenebitur adhuc alio tempore jejunare.

Collig. tertiò magnam esse adhibendam diligentiam ad dignoscenda vota propriè disjunctiva, de quibus in istis colligendis tantùm loquimur; nam præsæpè videntur vota disjunctiva, & sunt tantùm conditionata. Nec particula *vel* semper reddit votum propriè disjunctivum, quod ex mente

voventis colligendum est: nam si vovens intendat se ad unum determinatè obligare, si exequi potuerit, & casu quo nequeat, aut culpabiliter non exequatur, ad alterum, tunc votum non erit propriè disjunctivum, licet addatur particula *vel.* In exemplo, voveat quis ex tali intentione, voveo dare 30. florenos, vel 10. florenos: aut voveat ex simili præfata intentione, se ingressurum in religionem post annum, vel post biennium, quæ vota non erunt propriè disjunctiva. Adeòque non erit discurrendum, sicut de voto disjunctivo in primo Collig. dictum est. Quòd si de mente voventis ejúsque intentione non constet, probabiliùs cum *Sanch.* judico, similia vota præsumenda esse disjunctiva, quia sic magis concordant verba.

Quæritur octavò. An re verâ Anxiensis maritus non sit obligatus ad recitandum alio die rosarium, quod ex voto obligatus diebus Sabbathinis recitare intermisit? ante responsionem

Suppono primò. Tempus adjectum in voto dupliciter se posse habere. Uno modo, ut votum fiat principaliter in honorem ipsius temporis, ita ut unâ cum tempore illo adjecto finiatur obligatio; uti contingit in præcepto Ecclesiastico audiendi missam diebus festivis &c. Altero modo, ut votum non fiat principaliter in honorem tem-

temporis designati, sed solùm eo animo, ut non ultra differatur executio; uti contingit in voto jejunandi e. g. sequenti septimanâ, aut intra annum ingrediendi Religionem.

Suppono secundò. Si constet tempus adjectum esse primo modo, quòd illo transacto, & voto sive culpabiliter, sive inculpabiliter non impleto, cesset tota obligatio, ita ut postmodùm neque ad id votum, neq; ad aliquid aliud loco illius vi voti teneatur. Contrarium verò dicendum esse, si constet tempus voto adjectum esse secundo modo. In præsenti autem quæstio est, quando de voventis intentione nihil constat. Vnde

Suppono tertiò Quædam tempora continere in se specialem devotionem, uti annus jubilæi, quadragesima, adventus, vigiliæ, dies sabbathi &c. quædam verò non. Quibus positis

Respondetur ad quæsitum breviter, maritum non fuisse ex post facto ad quidquam obligatum vi talis voti, sive culpabiliter, sive inculpabiliter die Sabbathi non recitavit Rosarium. Ratio est, quòd votum emissum cum temporis designatione primo modo, in supposito primo explicato, non obliget elapso illo tempore, sed exspiret obligatio illius temporis, cum ipso tempore, sive culpabiliter, sive inculpabiliter sit omissa voti executio; sed in præsenti casu votum

emissum est cum tali temporis designatione; ergò illo elapso exspirat obligatio illius temporis. Ma. patet, & est recepta communiter. Mi. probatur, nam in dubijs similibus oportet rem ex circumstantiis, & conjecturis discernere; signa autem circumstantiæ vel conjecturæ ad decernendum in tali casu utro illorum modorum se vovens habuerit, sunt Primò natura ipsa rei promissæ. Secundò natura temporis ipsius designati. Tertiò ratio & motivum, quo ductus vovens tempus in voto designavit, an scilicet sit ipsa temporis sanctitas, aut devotio, vel non; potest enim tempus de se esse sacrum, ipse vovens tamen inde principaliter non moveri, & tunc habebit se tempus adhuc tantùm modo secundo, in primo supponendo allato, atq; ideo ibidem diximus, quando *principaliter*. Quartò tandem an res per votum promissa sit in perpetuum, v.g. singulis diebus, septimanis, aut mensibus per vitam hoc vel illud præstare; an verò non sit perpetuum, quia si sit perpetuum, censetur regulariter res indivisim cum tempore promissa, adeóque unà cum tempore exspirare, secus si non. Ex his inquam signis prudens colligere debet, utro illorum modorum vovens se habuerit.

Sed in nostro quæsito & voto sunt similia signa determinantia, & significantia indivi-

ſam cum tempore rei promiſſionem, ſeu roſarii recitationem, ita ut cum tempore exſpiret obligatio illius diei; ergò præſumendum eſt voventem hujus fuiſſe intentionis. Probatur antec. quia primò dies ſabbathinus ſpecialiter, & ex communi ſaltem hominum æſtimatione eſt ſacer B. V., cuius memoriâ excitatus vovit illud roſarium. Secundò hoc votum fuit in perpetuum: ergò. Hanc ſententiamtenet *Suar. l. 4. de voto c. 13. n. 5. Sanch. in decal. l. 4. c. 14. à n. 28. Caſtropal. tract. 15. diſp. 1. p. 14. à n. 2. Tamb, l. 3. c. 16. §. 2. à. n. 5.*

Quærit tandem nonò Casi-Brodius, num non dicti voventes fuerint obligati aliquid aliud æquivalens loco evacuatæ urnæ vini tribuere? ante Reſponſionem.

Suppono dictam urnam vini in individuo fuiſſe promiſſam, & non aliam, ſeu non fuiſſe promiſſam urnam vini in communi; nam tunc hâc evacuatâ deberet aliam; hæc autem ſuppoſitio patet ex caſu, cùm aliàs regulariter non videantur habuiſſe vinum, niſi hanc urnam dono acceptam, quæ quæ hoc ipſo determinata & ſignata ſatis erat per hoc, quod illam dono acceptam promiſerant. Nunc ad quæſitum

Reſpondetur, voventes illos ad nihil aliud poſtmodùm fuiſſe obligatos, quaſi in compenſationem, aut reſtitutionem; adeóque

que Casi-Brodium in illa sententia egisse Ciceronem pro domo sua, idq; procedit, sive voventes cum culpa, sive sine culpa votum non adimpleverunt, & adimplere ulteriùs non possunt. Sic colligitur ex *S. Thoma* 2. 2. *q.* 88. *a.* 3. *ad* 2. ubi violantem votum virginitatis, ex ea parte, qua se reddidit impotentem ad votum implendum, solùm teneri ad pœnitentiam agendam, & in futurum ad custodiendam castitatem, sicquè servandum votum uti potest, non ad aliquam compensationem. *S. Doctorem* sequitur *Suarez l.* 4. *c.* 15. *per totum; Tamb. l.* 3. *c.* 16. *§.* 2. *n.* 12. *circa finem.* Ratio est, quòd voventes regulariter non sint præsumendi sese velle obligare ad aliquam compensationem violato voto, nisi contrarium constet: sed solùm ad servandum id, quod promiserunt. Secundò violatio voti non est contra justitiam propriè dictam, & commutativam uti supponitur: sed contra Religionem, & ad summum contra fidelitatem: ergò non inducit compensationem, seu restitutionem quandam. Tertiò voventes isti hanc urnam vini promiserunt; non aliam, aut aliud loco illius: ergò. Tota enim obligatio in voto pendet ex intentione voventis. Quartò probari potest ab instantijs, quæ communiter ab omnibus Anthoribus admittuntur; Nam

primò, qui vovit certum Ordinem ingredi, & in illo adhibitâ morali diligentiâ, non est admissus, non tenetur ad alium Ordinem ingrediendum, ad quod tamen esset obligatus, si teneretur ad compensationem. Secundò præsertim in votis personalibus, qui non potest suum votum adimplere per se, non tenetur (nisi constet etiam hoc intendisse voventem) illud adimplere per alium: ergò. Deinde patet ab exemplo ex S. Th. supra adducto: item vovens aliquid pro determinato tempore inseparabiliter, ita ut cum tempore obligatio cesset, juxta communem non tenetur ad quandam compensationem, licet cum culpa violaverit votum illud: ergò. Quod antecedens ulteriùs patet ex præceptis illis Ecclesiasticis, quæ obligant inseparabiliter ad tempus, ut audire tali die missam, recitare Breviarium &c.

Resol-

Resolvit Salisburgi in Celeberrima Archi-Episcopali, ac Benedictina Universitate, sub P. JOSEPHO DRESCHER, *Monacho Benedictino, ad S. Lambertum in Styria Professo, SS. Theologiæ Doctore, ac p. t. casuum conscientiæ Professore Ordinario; Ornat. ac Doctissimus Dominus Mag.* FERDINANDUS GALLUS, *Celsissimi & Reverendissimi Principis &c. &c. Alumnus. Anno* 1674. *Die Augusti.*

CASUS VI.

De Irritatione, Dispensatione, & Commutatione, votorum.

CAsus physicos curant Chirurgi, morales curati; hac diversitate, quòd illi incertâ operâ; ac ipsâ curâ dolorem; hi solo, eóque infallibili verbo, procul omni cicatrice, ex integro afferant sanitatem. Sanavit multos, aut potius â lapsu præservavit; irritando, dispensando, commutando varia vota, *bis Pater*, *invisus* Nemo; nunc propiùs ad receptissimum in moralibus Authorum Auctorem. Prudens Judicium, accedens.

Quærit I. An olim multorum filiorum Pater validè, & licitè irritaverit eorum vota, absque omni causa? *ante responsionem.*

Præsupponendum, quid sit Irritatio, Dispensatio, Commutatio, & quomodo inter se differant. Est itaque Irritatio nil aliud, nisi actus ipse liber voluntatis, quo habens legitimam irritandi potestatem, vult sublatam obligationem voti; seu Irritare votum, est votum illius, qui ab alterius voluntate (intelligeratione ipsius personæ voventis; non ratione liberæ voluntatis actualis, vi cujus vovens valorem voti ab alterius voluntare, &

 consen-

consensu, vel dissensu velit dependere) pendet, reddere nullum; Unde omnia vota illorum, qui ab alterius voluntate, dicto modo, invovendo dependent, hanc implicitè conditionem involvunt; si superior consenserit, vel non contradixerit.

Atque, uti ipsa hæc dependentia à consensu, vel non dissensu superioris, ita ipsa potestas irritandi vota est duplex. Una directa & propriè dicta irritatio; altera indirecta, & impropriè talis, quæ magis suspensio voti dici potest. Irritatio directa, & propriè talis est, quando quis irritat vota à sua voluntate directè dependentia. Irritatio autem indirecta, quando irritat vota alterius, â sua voluntate solum indirectè dependentia. Est autem directa dependentia à voluntate alterius, dum ipsa voluntas inferioris, quoad efficaciam suæ operationis, à superioris voluntate dependet; qualis dependentia est in filio impubere, à parente, *C. mulier 32. quæ: 2. &c.* Religiosi professi à superiore suo. *C. si Religiosus de electione in 6. item c. Monacho 20. quæ: 4.* Indirecta verò dependentia est, quando quis â superiore dependet, non quoad ipsam voluntatem, seu voluntatis suæ operationes, sed tantùm ratione materiæ, circa quam vovendo versatur; qualis est dependentia puberis à parente, circa rem vel actionem, patriæ potestati, sub qua adhuc est aut domesticæ guberna-

ternationi adversantem; vel mariti ab uxore in re eidem, vel domesticæ gubernationi præjudicante; v. g. dum pubes, aut maritus longas peregrinationes, vel immoderatas eleemosynas vovet. Unde fit, quòd directâ irritatione omnia omninò vota præterita, præsentia, futura, etiam solâ mente concepta, sive præjudicent irritanti, sive non præjudicent, irritari possint, atque semel irritata nunquam reviviscant; quia nempè cùm sint in se infirma, nisi accedat actualis voluntas positiva, vel saltem negativa superioris, illâ non approbante omninò emoriuntur & extinguuntur, habentque se ac si nunquam fuissent edita; propter tantam illam voluntatis dependentiam, quâ superioris voluntatem respiciunt, & ad sui efficaciam includunt, eique subjiciuntur. Indirectâ autem irritatione possunt solùm irritari illa vota, quorum materia dependet ab altero, eique præjudicat; quare cessante illâ materiæ dependentiâ, ac præjudicio, similia vota reviviscunt & obligant; quæ stante indirectâ irritatione erant quoad executionem in suspenso. Differunt etiam hi duo modi irritandi, quòd irritatio directa, semper sit actus dominativæ potestatis, quâ quisque illam habens nomine suo pro libitu utitur; irritatio autem indirecta quandoque possit etiam esse actus Jurisdictionis, quâ illam habens nomine Dei vel Ecclesiæ uti-

utitur, uti contingeret si Pontifex vel Episcopus materiam voto promissam prohiberet, v.g. Jejunium die dominico, aut si aliquid præciperet, quod cum voti executione foret incompatibile; & tunc esset actus Jurisdictionis spiritualis. si autem simile quid à Magistratu, vel Rege sæculari prohiberetur, aut præciperetur, esset irritatio indirecta, & actus Jurisdictionis temporalis seu sæcularis. Hæc de irritatione.

Dispensatio voti (quam in vota dari, & esse actum Jurisdictionis externæ spiritualis & Ecclesiasticæ supponimus.) Est actus, quo is qui potestatem habet, votum nomine Dei absolutè relaxat & remittit. Sin autem præter Dispensationem, aliquid minus in vicem prioris voti subroget, dicitur dispensationi immixta commutatio; adeóque etiam dispensatio mixta, vel dispensatio partialis.

Commutatio voti, est substitutio operis honesti loco alterius per votum promissi, manente eodem vinculo; seu est translatio obligationis de materia per votum promissâ, in aliam materiam, ab habente hanc potestatem facta; Unde in commutatione transfertur solùm obligatio ab habente potestatem de una materia in aliam; non autem extinguitur absolutè, nisi quoad priorem materiam. Triplex communiter solet assignari commutatio in melius, æquale, & minus. In melius quis

quisque propriâ authoritate poteſt commutare. In æquale eſt dubium inter Authores, de quo in ſequentibus. In notabiliter autem minus non poſſunt, niſi gaudentes etiam poteſtate diſpenſandi; quia jam eſt partialis diſpenſatio immixta commutationi.

Differunt autem inter ſe Irritatio, Diſpenſatio, & Commutatio: irritatio enim regulariter eſt poteſtatis dominativæ, vel ſpiritualis, vel temporalis ſeu ſæcularis. diſpenſatio autem, & Commutatio poteſtatis, ſeu Juriſdictionis ſpiritualis. Illa non exigit cauſam ad ſui valorem, hæ autem requirunt, uti patebit in ſequentibus. Differt item irritatio à commutatione, quòd illâ votum abſolutè extinguatur; commutatione autem obligatio voti maneat, & tantùm transferatur in aliam materiam. Et hæc colliguntur ex *S. th. Summa ſecunda ſecundæ: q.* 88. *a.* 8. ubi adducit *Num. c.* 30, *item a.* 9. *&* 10. *Clavi Regia Sayri, lib.* 6. *c* 10. *In verbo Votum. n.* 1. *de irritatione. Soarez l.* 6. *de votis c.* 1. *Filliucius tract.* 26. *de voto c.* 8. 9. *&* 10. *Leſſius l.* 2. *c.* 40. *de voto dubio.* 11. *&* 12. *Sanchez l.* 4. *in decal. c.* 24. *lay l.* 4. *tract.* 4. *c.* 7. *&* 8. *Caſtro. tract.* 15. *diſp.* 2 *p* 1. *Tamb. in decal. l.* 3. *c.* 16. §. 3. *Baſſæus. V. votum.* 5. *de irritatione à n.* 1. ſuntque communiſſima apud DD., quæ etiam pro ſequentibus aliisque ſimilibus quæſtionibus ſolvendis notanda ſunt. Porrò no-

lumus hic discutere, an hæc potestas irritandi ortum habeat ex Jure Ecclesiastico, an potius naturali, de quo varii variè disputant, uti videre est apud *Suarez tom. 2. de Relig. l. 6. de voto. c. 6. n. 2. & 3. Sanch. l. 4. in decal. c. 24. n. 29. Castro. loco cit. n. 4.* His ita præsuppositis, ad quæsitum.

Respondendum. I. quantùm ad valorem factarum illarum irritationum, non fuisse necessariam ullam causam. Patet satis ex præsupposito adducto, & ex eo ratio est; quòd cùm valor ipse voti à superioris, ut in præsenti, ipsius parentis voluntate, tanquam à potestate dominativa, (aliud foret si esset potestas tantùm jurisdictionis, uti contingit etiam in dispensatione; nam cùm ibi res agatur nomine alterius; nempè in præsenti negotio, nomine Dei, Deus non approbat imprudens, & absque causa, factum; ac tandem lex, vel præceptum sine causa non valet; ergo neque talis irritatio valeret) pendeat, si nempe consentiat, vel saltem non dissentiat; liberum ei erit consentire, vel non contradicere, aut contradicere; sicut ipsimet liberum est vovere, vel non vovere absque omni causa. Non enim minus in uno, quàm in altero casu Pater utitur jure suo, cujus utendi, nullâ opus est causâ. Uti patet, si quis ex aliena pecunia promittat eleemosynam faciendam, si verus Dominus consenserit;

it; poterit enim talis absque omni causa uti jure suo, & non consentire, promissionemque irritam reddere. Nulla ergo ad valorem irritationis votorum à dominativa potestate procedentis requiritur causa, etiam dum est indirecta tantùm irritatio, nisi fortè in hac, ipsum præjudicium sibi per votum inferendum. Sic *Soarez cit. n. 9. citans S. Doct. q.* 88. *a.* 12. *ad* 2. aitque esse communem modernorum. Docentque omnes supra citati ex communi Doctorum. Sed difficultas in quæsito, superest, an irritatio ex potestate dominativa absque omni causa, licitè & absque culpa fieri possit? ad quod.

Respondendum II. videri nullam etiam requiri causam, ad hoc ut licitè fiat irritatio per potestatem dominativam. Ratio est 1. quia ut quis licitè, & absque omni culpa utatur jure suo, non requiritur causa; sed tali modo irritans utitur jure suo; ergo. ma. probatur; potest enim quis licitè, & absque omni culpa uti jure suo, quod habet ad absolutè vovendum, vel non vovendum; ergo etiam, quando alterius votum pendet à voluntate, & jure superioris, poterit hic liberè, & licitè uti jure, & voluntate sua. Item potest dominus licitè, & pro libitu absque causa disponere de re sua, *ergo. mi.* etiā constat, quia supponitur uti dominati-

va poteſtate, quâ pollet in ſubditum, & quia ſubditi votũ dependet à voluntate irritantis propter illam conditionem in voto ſubditi imbibitam; ſi ſuperior conſenſerit, vel non contradixerit: ergo. Et confirmatur ulteriùs à pari: Dominus de cujus pecunia elargienda alius quispiam fecit promiſſionem, aut votum, ſi nempè ipſe Dominus conſenſerit, poteſt absque omni cauſa licitè & citra omnem culpam non conſentire, ſicque anullare promiſſionem, vel votum; quia utitur jure ſuo: ergo ſimiliter ſuperior poteſt absque omni cauſa, & absque omni culpa, licitè irritare votum à ſua libera voluntate pendens; quia utitur jure ſuo. Et hanc ſententiam videntur plurimi authores apud *Soarez, Lay. Caſtro*: & à *Sanchez l. 4. in decal. c. 24. n. 11. cit.* tenere. Inter quos etiam citat *Emanuelem Saa. v. votum de irritatione n. 1.* Sed Saa ibi loquitur de irritatione ut teneat, non ut liceat.

Reſpondendum 3. ex *Soarez cit. n. 10. & Sanch. cit. n. 9. & 10. aliisque.* Si quæſtio ſit, an irritatio voti absq; juſta cauſa facta, ſit peccatum contra votum, aut Religionem? negativè. Si autem quæſtio ſit, an irritatio, non ut irritatio eſt, ſed generatim quatenus eſt actus quidam humanus, factus abs omni cauſa, ſit peccatum, non quidem contra Religionem, aut votum; ſed v. g. otioſitatis, aut imprudentiæ, &c.

&c. Affirmativè. Ratio prioris eſt, quòd ſicut Religionis virtus non obligat ad vovendum; ita nec obligat ad approbandũ votum, illum à quo liberè votum dependet; adeóque ſicut absque cauſa non vovendo, non facio DEO injuriam, ita absque cauſa non approbando votum à me dependens, non facio Deo injuriam. Ratio autem poſteris eſt, quia omnis actus humanus, ut vitio careat, requirit finem, cauſamvè honeſtam. Supereſt igitur quæſtio decidenda, an irritatio, quâ talis, requirat cauſam, ut absque peccato fiat?

Reſpondendum 4. Contra reſponſionem ſecundam affirmativè, & quidem abſolutè ſine illo diſcrimine, quod *Filliucius cit. cap.* 8. *n.*222. *cum Soarez cit. n.* 10. conſiderandum vel ſpectandum ait; ſcilicet an talis poteſtas in ſuperiore, ſit in bonum, & utilitatem ſubditi, qualis reperitur in ſuperiore Religionis. Secundo, an illa poteſtas tantùm cedat in bonum, & utilitatem ſuperioris, qualem reperiunt in Dominis reſpectu ſervorum ſuorum. Vel tandem, an cedat in bonum, & utilitatem utriusque; nempè ſuperioris, & ſubditi; quod etiam contingere ajunt inter Patrem & filium, Maritum & Uxorem. Sine hac, inquam, diverſitate conſideranda, dico, eſſe peccatum veniale irritationem voti, etiam quâ talem, à ſuperiore absque omni cauſa factam. Ratio eſt breviter, quòd ſuperior

quiscunque, etiam ex tribus supra adductis abutatur potestate suâ. Quod ipsum præterquam, quòd de superiore, seu Prælato Religioso communiter concedant, probatur: quia potestas hæc Dominativa non debet esse impeditiva promptitudinis vovendi, cultûsque Divini in subditis; sed eundem potiùs in authorem naturæ promovere; ergo qui absque omni causa irritat vota subditorum, abutitur potestate suâ; adeóque saltem peccat venialiter. Debet enim superior ratione ipsius superioritatis, & potestatis dominativæ, aliqualiter, saltem negativè, bono spirituali subditi consulere, quantùm absque suo incommodo potest.

Ad argumenta Responsionis secundæ, & quidem ad primum patet ex ante dictis. Atque dico, talem non tam uti jure suo, quàm eodem abuti. Ad Confirmationem, & paritatem, disparitas est; quod talis Dominus, suæ pecuniæ ita sit Dominus sine omni respectu ad ullum subditum, qui aliquâ saltem gaudeat libertate vel jure, Non sic in casu, in quo versamur; nam & Religiosus, & filius, & uxor, & servus, saltem aliquod disponendi, ac vovendi habent jus, quanquam dependens in iis, in quibus dependent. Cùm ergo in 1. nulla, ne quidem superioritatis ratio, aut relatio sit, erga similem promittentem, vel voventem de pecunia; in secundo autem

talis

talis ratio, vel relatio reperiatur; non est mirum, in 1. non requiri causam; requiri autem in 2. & in casu, in quo versamur; ne saltem illa promptitudo, & bona voluntas subditi erga DEum, ad quam aliquod jus habet subditus, impediatur absque causa. Quin imò confirmatio est pro nobis, nec enim loquendo ordinariè, & regulariter potest Dominus absque causâ negare promissam suam per alium pecuniam, quin semper subsit utilitatis propriæ causa, in nostro autem casu supponitur subesse nulla; adeóque hic esset potestatis abusus, non ibi. Atque hanc sententiam tenent *Fillin. cit. Sanch. cit. n.* 13. *Less. l.* 2. *c.* 40. *de voto. dub.* 12. *n.* 70. *ad finem. Lay. lib.* 4. *tract.* 4. *c.* 7. *de voto. n.* 18. *Castro tract.* 15. *disp.* 2. *p.* 4. *n.* 5. *quos sequitur Tamb.* Sed

Dices: ex hoc sequi, quòd quiscunque liberè, & absque causa non vovens peccet venialiter; quia æquè abutitur suâ potestate contra cultum Divinum, quo argumento utebamur ipsi loco instantiæ, & paritatis: sed hæc sequela non subsistit, ergo nec id, unde sequitur.

Respondeo non esse illam obligationem, aut Relationem superioritatis in eodem homine, sicut est in superiore, & inferiore diverso. 2. Liberè & absque causa non vovens, non impedit ullum à promptitudine vovendi, & cultu DEI; qui cultus aliàs, irritatione non

factâ, fuisset executioni mandatus; superior autem impedit cultum actu aliàs ponendum; ergo.

Ex dictis patet, quid dicendum de petente irritationem, & agnoscente nullam adesse causam; aut (uti quidam) nullum sentiente gravamen: idem enim sicuti de irritante dicendum est. Regulariter tamen loquendo, in praxi vix unquam petens, aut etiam irritans per potestatem dominativam, vel venialiter peccabunt. Quia cùm in hoc communiter omnes Doctores agnoscentes peccatum, id tantùm agnoscant veniale (quamquam hoc ipsum non sit omnino certum & evidens) ad peccatum autem veniale, præsertim non omninò certum, excusandum levis causa sufficiat, imò hæc ipsa, quòd subditus suo voto gravatum se sentiat atque, rarò, imò vix unquam subditus non gravatus petat irritationem, aut superior non gravato concedat: ideo etiam regulariter vix continget, in his committi peccatum veniale. Videatur *Sanch. cit. n. 16. Cast. & Tamb.*

Quærit. 2. An ipse Pater, etiam post adeptam filii pubertatem, potuerit irritare vota filij, facta in annis impubertatis, quæ saltem non fuerunt ratificata à filio in pubertate: & quæ possit?

Videtur quòd nulla omnino. Ratio est, 1. Quia Pater non habet potestatem irritandi vota

vota filij puberis præsertim, quâ Pater est, sed quâ habet curam filij, sed non habet curam filij quoad ejus personam, dum jam est in pubertate; ergo dum filius jam est pubes, Pater non habet potestatem irritandi vota Filij saltem personalia etiã in impubertate emissa: ma. probatur, aliàs Pater *semper* possetquæcunquè vota Filij irritare, quia *semper* manet Pater. mi. probatur, quia potestas Patris in personam filij, expirat, cùm annis impubertatis filij; adeóque jam censetur functus suo officio. 2. Subjectio filij quoad personam cessat in filio pubere; ergo potestas iritandi in Patre, respectu personæ Filij, seu votorum personalium. Probatur 2. à pari: non potest Pater vota realia, aut quæcunquè domesticæ gubernationi, aut Patriæ potestati adversantia, à filio pubere emissa irritare post emancipationem; seu dum filius jam est extra patriam potestatem; nec potest Dominus irritare vota similia servi, postquam is liber est, & sui juris; ergo nec Pater vota filij impuberis personalia irritare, postquam filius factus est pubes, utrobique enim pariter expirat potestas Patris. Hanc tenent *Sotus*, *Rosella*, *Aragon. aliique apud. Sanch. l. 4. in decal. c. 30. n. 4.* Qui eam vocat probabilem. Sed his non obstantibus.

Respondetur: Patrem posse, etiam filio puberi omnia vota in impubertate edita & adepta

adeptâ pubertate à filio non ratificata, irritare; adeóque etiam personalia nulli præjudicantia. Ratio est 1. quia pubertas filij respectu votorum in impubertate emissorum habet se ac si nondum esset; semper enim verum manet, quòd talia vota sint in imbecilli ætate, & debili judicio emissa, ratione cujus datur Patri potestas irritandi omnia vota filij impuberis. Unde tali casu non tam irritat vota filij puberis, quàm impuberis; quia in similibus respicitur actus, prout primò positus erat & secundùm suam primordialem naturam; non autem secundùm statum hominis, in quo tempore irritationis versatur. Uti patet ex eo, quod communiter ab authoribus in confirmationem adduci solet, cap. ult. de sententia excommunicationis, ubi conceditur Episcopis potestas absolvendi eum ab excommunicatione, quam in pueritia ob percussionem Clerici contraxit, licet illam absolutionem primò in pubertate petat, scilicet propter defectum ætatis, in quo defectus erat commissus. 2. Propter eandem ætatis, & judicij imbecillitatem, omnia vota filij impuberis involunt hanc conditionem, si Pater consenserit, vel non contradixerit; adeòque votum filij impuberis, semper est in potestate, & voluntate Patris; sed hanc conditionem nunquam deperdunt, sicut nunquam deperdunt id, quod sint in imbecilli & fragili

ætate

ætate emissa; ergo semper manent sic conditionata, & in eadem potestate Patris, respectu horum votorum in impubertate emissorum considerata; etiam postquam filius est in pubertate. Nequé enim Patris potestas respectu horum votorum in impubertate emissorum, ullibi vel lege, vel ratione est restricta ut post annos impubertatis non valeat, respectu talium votorum. Non lege; quia nulla exstat. Non ratione; quia aliàs impuberum imbecilli ætati, non satis foret prospectum, si eorum vota, post annos impubertatis non essent sub eadem potestate Patris, nec irritari possent. Tertiò tandem, licet adeptâ pubertate filij, Pater primariò solùm habeat potestatem, & gubernationem rerum; manet tamen etiam adhuc saltem secundariò potestas quædam, & gubernatio in ipsam personam filij, ut quoad aliquam correctionem, vel directionem, prout necessarium fuerit; atquè filius adhuc debet Patri reverentiam aliquam. Unde ratione adeptæ pubertatis, non omnimodè expirat potestas Patris in personam filij. Et hanc sententiam tenent *Navarr. in summa lat. c.* 12. *n.* 71. *Sa.* *v. voti irritatio n.* 5. *Fill. trat.* 26. *de voto c.* 8. *n.* 233. *Ress. l.* 2. *c.* 40. *dub.* 14. *n.* 83. *Soarez. lib.* 6. *de voto. c.* 6. *n.* 8. *Sanb. lib.* 4. *in decal. c.* 30. *n.* 9. *Lay. l.* 4. *tract.* 4. *c.* 7. *n.* 11. *Castro. tract.* 15. *disp.* 2. *p.* 3. §. 3. *n.* 5. *Tamb. l.*

3. in

3. in decal. c. 16. §. 3. n. 9. ad finem, aliique plurimi apud Sanchez. cit. inter quos Sayrus in Clavi Regia l. 6. c. 10. n. 26. estque communis modernorum.

Ad argumenta in contrarium allata Respondetur, & quidem ad 1. ad ma. dici potest, Patrem habere curam filij, quia Pater est; & consequenter etiam inde potestatem irritandi; certum namque est illum non esse patrem, quia curam habet filij. mi. distinguitur: non habet curam personæ filij in pubertate existentis primariò, concedo; Secundariò nego. uti patet ex tertia ratione pro sententia communi adducta. Et ulteriùs negari non potest, quòd licet Pater tempore impubertatis filij, primariò tantùm habeat potestatem in personā filij, secundariò nihilominus habeat potestatem in res. Deinde, dico, Patrem quidem non habere primariò potestatem in personam filij puberis, vel in vota personalia, filij puberis, in pubertate emissa, vel ratificata, & quæ Domesticæ gubernationi non adversantur, habere tamen potestatem in vota filij impuberis personalia, ejusque personam impuberis; manent enim talia vota in impubertate emissa, semper vota filij impuberis. Ex quo patet, quid ad probationem mi. dicendum; nempè negatur, potestatem illam omninò, & saltem respectu illorum votorum, de quibus quærimus, expirare. Ulteriùs non

cessat quoad hæc vota subjectio Filij. Ad paritatem aio, esse disparitatem, quòd Domino in servum, Patri in filium puberem, non detur potestas irritandi propter defectum judicij, & imbecillem ætatem; sed propter præjudicium rectæ gubernationis; seu quatenus præjudicant Domino, vel Patri: unde non possunt irritare nisi vota dicto modo illis præjudicantia. Patri verò respectu Filij impuberis, datur irritandi potestas propter defectum judicij in Filio impubere, atque illius fragili ætati consulatur; unde non est mirum, quòd cessante subjectione servi, aut filij puberis, cesset omnis potestas irritandi; quia cessat omnis ratio, ob quam habent irritandi potestatem. Non sic in præsenti casu. uti satis in sententia, quam teneo, probavi; adeóque non cessat omninò illa potestas in Patre, atque adeò pater adhuc poterit irritare vota filij, emissa in impubertate, etiam postquam Filius adeptus est pubertatem non autem Dominus aut Pater vota filij puberis, postquam hi facti sunt sui juris. Quare universaliter omnes illi habentes Dominativam potestatem directè irritandi vota, quorum potestas non omninò expirat mutatâ subjectione subditi, poterunt adhuc irritare vota subditi in subjectione priore emissa. Similem tamen potestatem non habent Prælati Religiosorum, aut Domini servorum, &c. Ex dictis:

Inf. 1. Idem dicendum de voto filij impuberis facto, ut ejus executio ponenda primùm sit, in pubertate, vel postea. Rationes enim in adducta responsione ad quæsitum, idem probant.

Inf. 2. Si filius in pubertate propriè, & verè ratificâsset votum personale, aut reale non præjudicans Patri in impubertate factum, Patrem non potuisse illud irritare post pubertatem filij. Quia tunc esset, ac si de novo in pubertate, tale votum emisisset; qualia Patrem in filio pubere irritare non posse, constat. Secus esset, si fuisset votum, de re præjudicante Patri, in impubertate emissum, & in pubertate ratificatum: quia sicut talia vota Pater potest irritare à pubere filio facta, quamdiu filius non est emancipatus; ita & multò magis tunc ratificata. Requiritur autem ad propriam ratificationem 1. ut vovens sit conscius debilitatis voti prioris. 2. ut velit de novo se obligare firmiter perinde ac si nunquam obligatus fuisset. 3. ut sic dispositus, vel voce, vel mente vota præterita repetat, seu approbet, ita post *Navarr. cit. communiter DD.*

Inf. 3. quòd si omnibus perpensis sit dubium, an votum sit ratificatum; vel an sit ratificatum tempore pubertatis, vel impubertatis; præsumendum est, non esse ratificatum, vel non esse ratificatum tempore pu-

ber-

rtatis, adeoque esse irritabile à Patre. Ra-
ificatio enim est quid facti, & factum non
præsumitur nisi probetur; sicuti si quis du-
bitet, an voverit, præsumere potest non vo-
visse, vel si dubitet an voverit pubes, vel
impubes, semper est irritabile à Patre. *Sua-
rez tom. 2. de Rel. li. 4. c. 6. n. 1. & 7. ad fi-
nem. Item Sanch. l. 4. in decal. c. 32. n. 2.
& 9.*

Quærit. 3. An Pater datâ filio impuberi
vovendi licentiâ, vel confirmato per ipsum-
met Patrem filij voto, adhuc possit illud irri-
tare?

Hæc quæstio est duplex: una de licentia
data; altera de confirmatione voti à Patre
facta, & in utraq; duo quæruntur, 1. ad valo-
rem irritationis pertinet; alterum ad licitum
irritationis usum. Et quidem posse superio-
rem, irritandi potestate Dominativâ prædi-
tum, revocare validè licentiam datam vo-
vendi, antequam votum sit emissum non est
dubium. Sed tunc non est irritatio. Econ-
tra non potest validè revocare similem licen-
tiam, postquam subditus, jam & votum emi-
sit, & id ipsum executioni mandavit; tunc
enim per executionem, quasi per traditionem
jam est jus acquisitum DEO. Itaque de va-
lore irritandi emissum votum, nondum ta-
men executioni mandatum, de quo emitten-
do filio licentia data est à Patre, tota versatur

quæstio. Circa quam, loquendo de impuberibus, & de irritatione directa.

Videtur dicendum, quòd non. Ratio esse potest. 1. quia ratio, cur Pater possit vota Filij impuberis irritare, est imbecille Filij in illa ætate judicium; quæ ratio accedente Patris maturâ, & prudenti licentiâ, videtur cessare; utpote quia confirmatum censetur, per paternam licentiam, judicium Filij; ergo cessante ratione irritandi, cessabit & potestas irritandi respectu illius voti. 2. Pater tali casu, quoad illud votum, jam functus est officio suo adæquatè, usúsque est suâ potestate, quantum potuit; resque illa, seu votum jam quasi transijt in rem judicatam. 3. Contractus filij cum homine, ex licentia Patris initus, non potest deinde à Patre irritari; ergo neque contractus cum DEO. 4. Pater dando filio licentiam vovendi, censetur Filium, quoad hoc votum à sua potestate eximere, & quasi juri suo relinquere; ergo facto tali voto, illud irritare non poterit. 5. Votum Filij impuberis, cùm nil aliud ad sui firmitatem desideret, quàm consensum Patris, vel non contradictionem; accedente consensu Patris, jam est firmum omninò, & extra statum conditionatum: ergo id Pater infirmare non amplius poterit. Sicut non potest, si votum impuberis est confirmatum à Filio in pubertate, & non præjudicet gubernationi paternæ, seu domesticæ? ergo, cùm licentiâ Patris pariter firmetur votum Filij

impuberis, illud Pater irritare non poterit.
Quia aliàs talia vota impuberum cum li-
ntia Patris emissa manerent semper in-
ima, usque ad mortem Patris etiamsi mil-
es essent à Patre confirmata; quod videtur
bsurdum. Et hanc de Patre Filij impuberis
oquens, tenet *Soarez l. 2. de Religione tract. de
votis l. 6. c. 6. n. 15. & 16.* Citantur etiam
ro eadem *Sayrus in Clavi Regia l. 6. cap. 10.*
n. 28. *Philiarcus de officio Sacerdotis tom. 1. p. 2.*
l. 3. c. 18. *idemque docet Soar. cit. l. 6. c. 8. n. 7.
Filli tract. 26. de voto c. 8. n. 233.* Estque
eadem difficultas, in votis impuberis de licen-
tia Patris emissis, quæ de similibus votis à Patre
confirmatis. Sed his non obstantibus ad quæ-
situm, de hujusmodi votis, tam de licentia
Patris emissis, quàm à Patre confirmatis.

Respondendum est, posse Patrem adhuc
validè irritare impuberis vota, non obstante,
quòd ex Paterna licentia sint emissa, aut eâdem
authoritate confirmata. Ratio est, quòd Pa-
ter dando licentiam vovendi filio, vel votum
ejusdem ratificando, non transferat Domi-
nium suum, seu jus, quod habet in volunta-
tem, vel talem filij actionem, in ipsum filium;
ergo poterit adhuc semper datâ licentiâ, aut
factâ à se confirmatione, votum filij irritare.
Consequentia est clara; quia cùm vi hujus so-
lius juris, ac Dominij, Pater possit irritare vota
filij impuberis, poterit id facere, quàm diu re-
tinet tale jus, & Dominium in Filium; seu

quàm diu non abdicat à se Dominativam illam potestatem, quoad talem actum, vel votum; filiumque non constituit quoad hoc suis juris; quæ consequentia magis confirmabitur, à paritate superioris in Religione, paulò post adducendâ. Antecedens autem probatur. Quisquis superior, dando subdito simpliciter licentiam ad aliquem actum, nisi contrarium expressè, vel saltem ex circumstantijs constet, censetur illam dare eo modo, quo minùs suæ potestati, & authoritati præjudicat; ut nempè adhuc semper, cùm necessarium fuerit, subdito suâ authoritate, & potestate succurrere possit: Sed potest dare licentiam vovendi, vel votum impuberis confirmare, absque eò, quod abdicet à se Dominium, quoad talem actum filij; & hoc minùs potestati paternæ (imò & ipsi Filio, utpotè cui sic semper etiam quoad talem actum, seu votum subveniri potest;) præjudicat: ergo sic, & non alio modo censetur Pater dare licentiam. Ma. constat, nemo enim præsumitur se velle suâ authoritate in sui, vel etiam subditi (manet enim semper adhuc judicium impuberis imbecille, fragile & infirmum) præjudicium privare. Quod ulteriùs confirmatur à pari; Superior Religionis, etiam juxta *Soarez cit.* aliosque communiter, potest irritare votum Religiosi suâ licentiâ emissum, vel authoritate confirmatum, saltem antequam idest executioni mandatum: adeóque dando vovendi licentiam, vel votum subditi

diti confirmando, non abdicat à se Dominium in subditum, quoad talem actum; sed solùm dat licentiam, aut confirmat absque suo præjudicio, & retinendo sibi adhuc Dominium, jus & potestatem irritandi; ergo sic pariter discurrendum erit de Patre respectu filij. Sicut enim superior Religionis (quia potest etiam ex post facto in subditi bonum expedire, ut superior datâ licentiâ, vel confirmato voto, tanquam Dominus irritet votum subditi) dando licentiam, vel confirmando votum subditi, non facit illum sui juris; sed solùm concedit ut operetur, & se obliget; non tamen absque dependentia à sua voluntate, & conditione imbibita, *nisi ipse superior contradixerit*; quam dependentiam & conditionem etiam datâ licentiâ, & confirmatione, á superiore desiderari, patet ex eo quia semper adhuc vult manere superior.

Sicut inquam superior Religionis, in tali casu, dando licentiam, vel confirmando votum subditi Religiosi, censetur adhuc velle illam dependentiam, & conditionem, neque constituere subditum sui juris: sic pariformiter de patre, respectu filii impuberis, discurrendum erit. Potest enim æquè expedire, in bonum filii impuberis, talis irritatio directa voti, vel cum licentia emissi, vel à patre confirmati. Nequè minùs pater censetur velle, semper manere pater, non obstante licentiâ, vel confirmatio-

ne voti datâ. Quin imò hanc poteſtatem dominativam, dominium, aut jus paternum in filium (ſive à natura, ſive à jure poſitivo humano proveniat) non poterit pater à ſe abdicare, aut illi cedere; ſicut non poteſt ſuperior Religionis, manens ſuperior, aut ſicut maritus non poteſt cedere juri ſuo, ut alius conjuge utatur, aut Clericus, ut licitè, & abſque cenſura percutiatur. Probatâ ma: probatur etiam mi. 1. Syllogiſmi; quia poteſt pater expreſsè ſic dare filio impuberi licentiam vovendi, aut factum votum confirmare, cum hac expreſſa Clauſula, ut ſibi non præjudicet, ſed habeat poteſtatem irritandi non minùs, ac habebat ante datam licentiam; ergo non eſt, quòd, cùm ſimpliciter & abs tali expreſſa abdicatione, & ceſſione jùris, filio impuberi dat vovendi licentiam, præſumatur Pater ſuum jus, & dominium transferre in filium: quod ipſum confirmatur à pari, de ſuperiore Religionis prius adducto. Sed:

Dices: aliud eſſe de ſuperiore Religionis, reſpectu Religioſi ſubditi, aliud de patre reſpectu filii impuberis; nam data licentia ſubdito religioſo, dependet quaſi in fieri, & conſervari à ſuperiore, ratione ipſius ſubjectionis, ſtatûſque religioſi per profeſſionem initi; adeóque ſicut eadem ſemper manet ſubjectio, quamdiu Religioſus eſt ſubjectus, non obſtante quâvis licentiâ; ſic eadem ſemper erit licen-

tiæ

tiæ datæ à ſuperioris voluntate dependentia. At in filio impubere reſpectu patris, hæc ſubjecto eſt ex alio capite, nempè ex ſola judicij imbecillitate, quæ accedente Patris prudenti conſenſu, ac licentia omnino ceſſat; conſequenter & dependentia quoad illum actum. Verùm

Contra eſt. I, voveat impubes maturi jam omninò judicii (ſupplente indole, ac prudentiâ ætatem, uti apud non nullos ſupplet nequitia) quippiam, an non Pater tale votum irritare poterit? Voveat. 2. impubes quispiam prudenti virorum doctiſſimorum conſilio inductus; An non irritare poterit Pater? poterit certè.

Dices hæc nihil facere ad rem; nec enim ipſe vovens, nec aliorum virorum doctorum prudentia, poſſunt impedire jus, ac poteſtatem paternam; poteſt autem ipſe Pater dando licentiam cedere juri ſuo, aſt iterum:

Contra eſt; ergo jam ruit punctus difficultatis, totus imbecilli nixus fundamento; videlicet debili impuberum judicio, cùm non jam hæc cauſa obſit; ſed libera ex parte patris ceſſio juris; quam non officere, vel potiùs ex ipſa data licentia, aut confirmatione non intercurrere, jam ſatis probatum eſt. Et ulteriùs confirmari poteſt rationem diſparitatis ab imbecilli judicio filii impuberis deductam non valere; ex eo, quòd per talem licentiam Patris, non

omninò suppleatur fragile judicium filii impuberis. Nam minori (ut consulatur, ac prospiciatur infirmo, ac fragili ejusdem judicio, & consilio *l. 1. ff. de minoribus ibi: cùm inter omnes constet fragile esse . & infirmum hujusmodi ætatum consilium, & multis captionibus suppositum, multorum insidiis expositum, auxilium eis prætor hoc edicto pollicitus est, & adversus captiones opitulationem.*) Conceditur beneficium restitutionis petere, quamquàm cum tutoris licentia, & authoritate contractum iniveritur habetur *l. 1. 2. & 3. imò toto tit. C. si tutor intervenerit*; idem etiam habetur, si Patre tutore, & auctore res gesta, seu pupillus captus sit, *L. etiam si patre. 29. ff. de minoribus*; ergo licentia, judicium, vel confirmatio patris, non ita supplet imbecillitatem judicij filij impuberis, quin adhuc maneat fragile & debile.

Ais fortè, allatis textibus probari restitutionis beneficium, dum res gesta est in fraudem, captionem aut præjudicium pupilli, vel minoris. Attamen parùm, vel nihil ais; etenim adhuc verum manet licentiam, ac authoritatem tutoris ac patris, non ita supplere judicium fragile impuberis, quin semper adhuc maneat fragile; Et saltem concedendum erit, adhuc posse Patrem tunc irritare votum impuberis, dum expedit, non obstante, quòd vel cum licentia Patris sit emissum, vel ab eodem Patre confirmatum.

Nec

Nec officis. II. Dicendo, pro beneficio restitutionis haberi expressas leges citatas, non sic pro nostro casu. Nam iterum repono, saltem per hoc ostendi, quòd licentia vel confirmatio Patris, non omninò reddat impuberis filii judicium immutabile, ac inirritabile quoad talem actum, quod tamen sententiæ contrariæ caput est.

Tandem intentum & sententia probari potest ex eodem *Soarez l. 6. c. 6. n. 16.* sic: Pater vota à se confirmata, vel suâ licentiâ à filio impubere emissa irritare potest, si sint contra gubernationem paternam & domesticam; item Pater indirectè potest irritare vota filii puberis, ex licentia sua edita, si sint contra gubernationem domesticam; ergo etiam poterit ea, de quibus quærimus, vota impuberum irritare; majore enim pollet Pater in hos potestate. Hujus sententiæ sunt *Saa. V. votum, ubi de irritatione. n. 2. Sanchez l. 4. in decal. c. 27. n. 18. & 21. item Cap. 30. n. 36. citans plures alios, Lay. l. 4. tract. 4. c. 7. n. 14. & 17. Castro: tract. 15. disp. 2. p. 3. §. 2. n. 5. & §. 3. n. 10. Tamb. l. 3. in decal. c. 16. §. 3. n. 15.*

Ad argumenta contrariæ sententiæ, & quidē ad. I. respondetur, per licentiam Patris, aut confirmationem, firmari quidem imbecille filij judicium, quantùm est ex parte filii; attamen non quantùm est ex parte patris, quia semper adhuc dependet ab eo, & imbibit conditi-

onem ſaltem *niſi pater contradixerit*, quemadmodùm patet ex eo, quod pro ſententia, quam teneo, attuli, in *Contra eſt. I. V. voveat ſecundo.* Deinde patet ex eo, quod dictum eſt à pari de beneficio reſtitutionis. Ad 2. negatur (quod ex immediatè allata reſponſione etiam ſequitur) patrem totâ ſuâ uſumfuiſſe poteſtate, quantùm potuit; potuit enim ſuâ poteſtate ita uti, ut etiam datâ licentiâ, & factâ confirmatione, adhuc impuberis filii votum irritare poſſet: atquè ita, dando ſimpliciter licentiam, aut votum impuberis confirmando, uſum fuiſſe, probatum eſt in probatione, & confirmatione antecedentis, pro ſententia mihi tenenda adducti. Et ulteriùs inſto *ex Soarez ejusquè aſſeclis.* Vel ſuperior Religionis, non obſtante datâ ſubdito licentiâ, aut voti confirmatione, eſt uſus totâ ſuâ poteſtate, vel non, ſi. I. ergo ſicut juxta adverſarios nihilominus adhuc poteſt irritare ſubditi Religioſi vota, ita poterit & Pater. Si non fuit uſus totâ poteſtate, neque pater cenſebitur ita fuiſſe uſus. Cæterùm verum eſt, votum hoc tranſiiſſe quodammodò in rem judicatam; ſed eo ſenſu, quòd pater non ita pro libitu, & fortè abſqué ſimili peccato poſſit irritare tale votum, ſicut ante licentiam, aut confirmationem; non tamen, quòd non poſſit adhuc validè irritare. Et quæro, quare in ſubdito Religionis vovente, res non tranſeat in rem judicatam

catam ipsâ superioris licentiâ, vel confirmatione accedente? Vel si transit, & non obsit, cur obsit in patre respectu filii? Ad. 3. dico, transeat antecedens, nego consequentiam; nam inter homines id exigit firmitas contractuum, ut superiores irrevocabiliter consentiant, atqué ideo jura requirunt in his superioris consensum, ut contractus revocari nequeat; aliàs certè nemo contraheret cum similibus subditis, & vel maximè Religiosis; neque etiam in talibus contractibus subditorum, ex licentia superiorum initis, adhuc manet conditio imbibita *nisi superior contradixerit*, quemadmodùm declarat consuetudo, & praxis. At verò in votis, praxis contrarium demonstrat, maximè in Religiosis. Nequé Deus vota subditorum contradicentibus superioribus exigere videtur, uti patet ex *Num. c. 30* Dixi transeat antecedens, nam non desunt, qui illud ipsum antecedens negent si traditio nondum sit facta, inter quos est *Aragon. & Leonardus*; eò, quòd non tantùm promissio, sed etiam traditio, & executio à superioris consensu dependeat. Tandem si hæc instantia, & paritas aliquid probat, probat etiam contra ipsos superiores Religionis; quibus tamen *& Soarez & communiter omnes*, adhuc permittunt potestatem irritandi, factâ etiam licentiâ, & confirmatione. Ad 4. dico illud negando, uti patet ex fundamentis pro sententia tenenda al-

latis

latis; aut ad summum posset dici, quòd pater dando licentiam, relinquat filium suo juri; sed absque præjudicio patris, adeóque solùm revocabiliter. Cujus itidem instantia est de superiore Religionis. Ad. 5. iterum nego, tale votum propter ipsam datam licentiam, vel confirmationem, esse extra statum conditionatum, sicuti & nego votum impuberis pariter firmari authoritate, & licentiâ Patris, quemadmodum firmatur, si ab ipso filio in pubertate firmetur; quia dum filius in pubertate confirmat votum emissum in impubertate, quasi de novo ibi vovet, non potest autem pater irritare votum puberis, si non præjudicet gubernationi paternæ. Adeóque votum de quo quæritur adhuc semper manebit sub conditione nisi Pater contradixerit, cùm semper adhuc dependeat à patris voluntate, uti jam probatum est, & constat de superiore Religionis. Ad. 6. aio, hoc non esse absurdum, sicut non est absurdum in votis Religiosorum, aliorumque subditorum emissis cum licentia superiorum. Ex dictis:

Inf. I. Idem & majori ratione dicendum esse, de superiore Religionis, quòd nempe, & is non obstante datâ vovendi licentiâ, aut suâ confirmatione, adhuc religiosi subditi votum (præter votum transeundi ad strictiorem ordinẽ, in quo Religiosus non est subjectus superiori. *c. licet. de Regul.*) irritare possit. Quod idẽ exten-

extenditur ad Dominum respectu servi, Patrem respectu filii puberis: maritum respectu uxoris, uxorem respectu mariti, intelligendo semper de illis votis, quæ aliàs si non data fuisset licentia, aut confirmata non fuissent, saltem indirectè irritare potuissent, unico voto continentiæ ab uxore cum licentia mariti approbativa (id est non absque proposito renunciandi juri suo) emisso aut tali sensu, & animo ab eodem confirmato, excepto. *c. quod Deo 33. q. 5. item c. manifestum eâdem: & tandem glossa finalis ejusdem quæst.* quæ omnia sunt juxta communiorem & probabiliorem sententiam. Cæterùm eadem potestas etiam extenditur ad successores in eadem potestate, circa vota ex licentia antecedentis superioris emissa. Sic *Soarez, Fillitius, Lessius, Sanch. Lay. Castro: Tamb. aliique communiter apud eosdem suis quibusvis locis, ubi de irritatione votorum.* Quæ tamen omnia, cum dictis authoribus, intelligas velim, de voto ex licentia facto, vel superioris authoritate confirmato ante executionem; factâ enim executione, jam per quasi traditionem est Deo jus acquisitum, resque non ampliùs integra; sed sub alterius Dominio, votumque ex toto expiravit, cessavit. Atque in voto reali factâ traditione suffragatur *l. traditionibus 20. C. de pactis* ibi traditionibus, & usucapionibus dominia

minia rerum, non nudis pactis transferuntur. Videatur *& castro cit. p. 3. §. 6.*

Inf. 2. Eos, qui directè irritare possunt, non tantùm id posse, datâ vovendi licentiâ, aut confirmato subditi voto, sed etiam si promiserint simul, non revocare licentiam. Nam ut ut id promittant, adhuc videntur, aut nolle, aut non posse cedere suæ potestati, ac juri, uti dictum est. Aliter discurrendum de ijs, qui solum indirectè, & ratione materiæ irritare valent, quales censeo esse maritum, Uxorem, Dominum, Patrem respectu puberis, &c. Hi enim, cùm jus & Dominium ratione materiæ habeant liberum, & à se pendens, utpotè qui possunt illam materiam, unâ cum toto jure in subditi potestatem cedere: eo ipso, quòd dando vovendi licentiam, simul promittant, illam se non revocaturos, videntur suo juri cedere, idque in subditum transferre. 2. Hi in tantùm possunt irritare subditorum vota, in quantùm sibi præjudicant: sed datâ promissione licentiam non revocandi, â vovente acceptatâ, nullum amplius superest præjudicium; ergo. Ita supra *citati authores.*

Quæstio nunc altera, ad initium hujus quæsiti insinuata, restat de irritatione hujusmodi voti, cum licentia superioris facti, aut ab eodem confirmati, an licitè illa fieri possit absque causa?

Respondetur: non deesse apud quosdam probatos authores, qui loquendo de simplici vovendi licentia, absque promissione non revocandi existimant, Prælatum, Patrem, aut maritum, sic absque causa irritando suorum vota, nullatenus peccare; utpotè qui jure suo utuntur, & non adstringuntur in concessione perseverare. inter quos est *tamb. l.* 3. *c.* 16. §. 3. *n.* 37. & 38. Verùm hi supponunt (quod in quæsito primo negatum est.) Superiorem irritantem sine causa votum subditi absque licentia emissi, nullatenus peccare. Quibus etiam videtur accedere *Castro. cit. à Tamb. tract.* 15. *disp.* 2. *p.* 3. §. 2. *n.* 4. sed melius habet *n.* 8. *circa finem.* quia *n.* 4. videtur tantùm agere de valore. Et hanc sententiam non sequor.

Alii absolutè & indiscriminatim, sive licentiæ sit juncta promissio eam non revocandi, sive non sit juncta, dicunt esse mortale absque justa causa irritare votum, in materia gravi, ex sua licentia emissum. Sic *Sanch. l.* 4. *in decal. c.* 27. *n.* 32. *tanquam probabiliorem*, *Less. l.* 2. *c* 40. *dub.* 13. *n.* 76. *p.* 5. aliique apud eosdem, & vocant comunem Doct. *Lay. l.* 4. *tr.* 4. *c.* 7. *n.* 18. *concl.* 2. *Castro. tract.* 15. *de votis. disp.* 2. *p.* 2. *n.* 8. Ratio est. 1, quia superior sic impedit, ne materia Deo obstricta offeratur; quod in materia gravi, non est leve peccatum. 2. Superior, quia dans licentiam

ſubdito promittendi aliquid homini, cooperatur illi obligationi, ac quaſi offert illam rem homini; ideo deinde revocans licentiam, aut impediens executionem, etiam cooperatur ad non ſervandam fidem, & eſt quodammodo injurius alteri: ergo etiam cooperatur obligationi, & promiſſioni Deo factæ; ergo etiam deinde impediens, cooperatur, quò minùs votum ſubditus exequatur; ergo ſic peccat contra votum; atque ſicut ipſe ſubditus in materia gravi, peccaret graviter absque revocatione licentiæ votum non exequendo; ita etiam ſuperior revocando ſine cauſa licentiam.

Alii ſimiliter indiſcriminatim de licentia, & promiſſione loquentes, ajunt, ſuperiorem absque cauſa irritantem tale votum ſubdito, peccare ſolùm venialiter, quantùm eſt de ſe, præſcindendo à ſcandalo, & alio inconvenienti. *Soarez. l. 6. de voto. c. 4. n. 22. ad finem. Lay. cit. ad finem. Caſtro. cit. n. 9. Tamb. loco cit. alijque apud eosdem*, aitque *Sanchez* eſſe ſatis probabilem. Ratio eſt. 1. Quia ſic non peccatur contra juſtitiam, neque contra Religionem; ſed ſolùm contra fidelitatem, eſtque quædam levitas, animique inconſtantia; quæ præſcindendo ab aliis, ſecundùm ſe regulariter non obligant ad mortale; probatur 2. & confirmatur ratio præcedens, nam ſuperior dando licentiam, vel promittendo non revocare licentiam, non ſe privat poteſtate, & jure irri-

irritandi; adeóque irritare poterit; ſicuti ſupra probatum eſt, adeóque irritando non peccabit contra juſtitiam, utpotè utens jure ſuo. Nec contra Religionem, quia ipſe per hoc non vovit; conſequenter ſic irritando non violat votum; imò neque id violat in ſubdito, cùm ſtante licentiâ, & promiſſione, ſemper retinuerit imbibitam conditionem, *niſi Superior contradixerit executioni*. Atque adeò ſuâ adhuc poteſtate, quâ pollet; potiùs tollit votum, quàm illud violet: ſicut legislator aufferens legem à ſe, vel ſuâ auctoritate latam, non dicitur illam violare, neque ſubditus non ſervandò illam legem ultro peccare. Utraque ſententia eſt probabilis, prior communior; ad cujus tamen rationes:

Reſponderi poteſt ad I. Superior impedit, ne materia DEO abſolutè obſtricta offeratur; negatur, ne materia DEO conditionatè ſolùm (*ſcilicet niſi ipſe ſuperior contradixerit*) obſtricta offeratur, tranſeat. Et hoc non eſt grave, utpotè quia utitur adhuc jure ſuo. Ad 2. patet ſatis ſolutio ex ſupradictis, nam contractum inter homines ex licentia ſuperioris celebratum, non valet ſuperior irritare, quia cenſetur per illam licentiam, ſic expoſcente bono publico, & ipſa praxi interpretante, per ſubditum quaſi ipſe contrahere: non ſic in noſtro caſu contingit. Ex dictis iterum

Sequitur. I. quòd in irritatione voti, ex licentia simplici emissi, requiratur major causa, ut superior licitè, & absque omni peccato irritet; quàm si irritatio esset circa votum, sine licentia, etiam simplici emissum: & quò minor sit causa, eò gravius peccatum irritatio.

Sequitur. 2. Adhuc majorem causam requiri, si licentiæ conjuncta sit promissio, illam non revocandi, ad hoc, ut superior tale votum, absque omni peccato irritet; quàm requisita fuisset, si licentia simpliciter data fuisset.

Sequitur. 3. huic quæstioni, an superior dans licentiam vovendi, cum promissione illam non revocandi, possit licitè tale votum irritare? non esse locum apud superiores illos, qui solùm indirectè irritare possunt; quia hi positâ tali promissione, ne validè quidem irritare valent, quemadmodum supra dictum est.

Quærit 4. An factus Tutor potuerit omnia illa vota pupilli irritare, & eodem modo, sicut Pater filii impuberis?

Tutorem posse omnia pupilli vota, & ferè eodem modo irritare, quæ pater, constans & concors est authorum sententia. Quare potest irritare etiam vota pupilli, exequenda tempore pubertatis. Item vota, ex sua licentia, â pupillo emissa, confirmata; etiam cum promissione, non revocandi licentiam. Idque

tam

tam quoad valorem, quàm quoad licitam irritationem pariter locum habet, sicut in patre; quæ omnia constant ex dictis de patre; eadem enim ubique est ratio in tutore, & pupillo, quæ in patre & impubere, cùm tutor sit loco patris, in ejusque potestatem succedat.

Nec obest, quòd tutor fortè possit nolle esse Tutor, & sic possit cedere juri suo, & tutelæ; hoc autem non possit Pater. Nam sufficit, quòd juri suo non possit cedere, aut nolit saltem cedere, eò ipso statim, quòd det licentiam, confirmet votum, aut promittat etiam non irritare, dum Tutor perseverat. Neque nolle esse tutorem, est cedere juri Tutoris; sed est potiùs jus ex toto unâ cum tutelâ abdicare. Et sic conveniunt DD. communiter, *Navarrus in Enchiridion sive manuali, c.* 12.*n*, 68. *Saa. V. votum de irrit. n.* 1. *Less. l.* 2. *c*, 40. *dub.* 14. *n*, 82. *Soarez* quoad priores partes *l.* 6. *de voto. c.* 6. *n.* 19. & 22. *Sanch. l.* 4. *c.* 35. *n.* 7. *Lay. l.* 4. *tra.* 4. *c.* 7. *n.* 10. *Castro. t.* 15. *disp.* 2. *p.* 7. *n.* 6. *Tamb. aliique.* Et in hoc, uti non est magna difficultas, ita nec quæstio. Quare solùm nonnulla difficultas moveri potest, circa hanc quæstionem. 1. an tutor possit irritare vota pupilli emissa, antequam Tutor susceperit tutelam, seu dum pupillus sub nullius erat potestate? 2. an tutor, factus Curator possit adhuc irritare vota minoris, quæ is in impubertate, vel sub Patre, vel

ſub tutela emiſerat; ſicut poteſt pater; licet gubernationi bonorum non adverſentur. 3. an id poſſit curator, qui ſit perſona diſtincta ab ea, quæ erat tutor, ſub quo talia vota erant emiſſa? & quidem ad 1.

Videtur dicendum negativè *cum Sanchez l. 4. c. 31. n. 5.* citante *Soarez l. cit. c. 6. n. ult*; & ſequitur *Caſtro tr. 15. diſp. 2. p. 3. §. 5. n. 1. & 2.* Qvorum ratio eſt, quòd voluntas impuberis carentis patre ac tutore, adeóque ſuæ poteſtatis, & libertatis, non ſit tunc ulli ſubjecta, atque ideò etiam nullam conditionem, ſcilicet *niſi pater, vel tutor contradixerit*, includat; ſed ſit abſoluta. Unde hujusmodi vota à tutore ſuperveniente irritari non poterunt, quia ceſſat cauſa irritationis; nempè conditio illa, & dependentia à tutoris conſenſu, nequit enim aliquid dependere ab eo, quod non eſt. Ex quo nihilominus

Deducunt. 1. poſſe Superiorem Religionis irritare vota ſubditi, emiſſa ante profeſſionem, quæ, ob contrariam profitentis voluntatem, per ipſam profeſſionem non ſunt irritata; quia per ipſam voluntatem illam contrariam (nempè non commutandi in votum ſolenne) cenſentur approbata de novo à profitente; conſequenter eſſe vota in Religione emiſſa.

Deducunt. 2. Poſſe tutorem irritare vota impuberis, quæ emiſit vivente Patre, quia jam tunc, dum fierent, ab alterius pendebant

debant voluntate, tanquam conditione, in cujus vicem tutor succedit.

Deducunt 3. posse tutorem talem, indirectè saltem irritare similia vota, id est illorum executionem suspendere. Hæc quidem videntur deduci. Ad difficultatem autem. 1. propositam.

Respondeo affirmativè *cum Less. l. 2. c. 40. dub. 15. n. 93. puncto. 2. Tamb. l. 3. c. 16. §. 3. n. 42.* Rationem do, è diametro oppositam. 1. quia vota talis impuberis adhuc semper involvunt conditionem; & dependentiam illam à voluntate patris vel tutoris, non quidem absolutè, sed iterum saltem conditionatè, si exstet vel dabitur tutor; sic in favorem pupillorum stante interpretatione juris. Probatur. 2. & confirmatur sententia, ac simul probatur ratio præcedens; quia semper manet ratio juris dantis potestatem parentibus, & tutoribus irritandi vota impuberis, nempè imbecille ac debile judicium. Ex quibus etiam solvitur ratio in contrarium. Atque hæc etiam ad Curatorem supervenientem extendi possunt interpretatione juris. Ad difficultatem 2.

Respondeo à fortiori affirmativè. Ratio est. 1. quia ex primæva sua natura adhuc involvunt talia vota illam conditionem, *si Patri, aut ei in potestate succedenti placuerit*; quam conditionem cùm non exuerint (supponitur enim illa in pubertate non fuisse confirmata à mino-

minore) quia ſemper adhuc verum eſt, quòd ex imbecilli judicio provenerint, adhuc irritabilia perſeverant. Unde tutor tranſiens in Curatorem adhuc illa in pubertate irritare poterit; licet enim curator non habeat poteſtatem in perſonam, ſeu voluntatem minoris directè, & per ſe, ſeu primariò; habet tamen per accidens, & ſecundariò poteſtatem in ejus perſonam, & primariò in res & bona. Sicut licet tutor per ſe, & primariò habeat ſolùm poteſtatem in perſonam, ac voluntatem pupilli; nihilominus ſecundariò ſaltem etiam eandem habet in bona, ac res ejusdem. Probatur. 2. & confirmatur à pari; pater poteſt dicto modo irritare, non obſtante, quòd ejus poteſtas, quam habuit in filium impuberem, per pubertatem filii aliqualiter mutetur, & ſe in pubertate tantùm extendat ad vota realia, gubernationi paternæ, ac domeſticæ adverſantia, quæ in impubertate filii, ſe etiam extenderat ad vota perſonalia, non præjudicantia; ergo ſimiliter non obſtante, quòd poteſtas tutoris, & officium tranſeat in poteſtatem, & officium Curatoris, quæ ſe non tam latè extendat, ac priùs dum erat tutor, adhuc dicta vota irritare poterit. Conſequentia confirmatur, & reſponſio Probatur. 3. Curator ſuccedit in gubernatione minoris, in ea poteſtate, quam haberet Pater eo tempore ſi viveret; ſed Pater haberet adhuc eo tempore poteſtatem irritan-

ritandi talia vota, ut in quæsito secundo probatum est; ergo idem etiam poterit Curator. *Navarr. in manuali c. 12. n. 71. ex Cajetano. Saa. V. votum de irritatione n. 5. Less. l. 2. c. 40. d. 14. n. 82. & 83. Sanch. l. 4 in decal. c. 30. n 15. Lay. l. 4. tr. 4. c. 7. de voto, n. 11. puncto 2. Castro. tr. 15. disp. 2. p. 3. §. 3. n. 6. Tamb. l. 3. in decal. c. 16. §. 3. n. 19.* aliique; quamquàm quidam nomine tutoris, malè utantur loco Curatoris.

Nec obest, quod *Suarez l. 6. de Religione c. 6. n. 24.* cum nonnullis negantibus alijs, in contrarium affert; nempè quòd potestas irritandi in Tutore, vel etiam Curatore; non sit annexa ipsi personæ, sed potiùs officio tutoris, vel Curatoris (nam aliàs si esset annexa personæ, posset tutor vel Curator semper, dum etiam officio destitutus esset, eodem modo irritare, quod certò falsum est) ergo expirante officio, expirat & potestas; consequenter non amplius irritare poterunt. *Subsumitur:* sed officium tutoris statim expirat, dum filius fit pubes, & transit in potestatem ac officium Curatoris: ergo Curator tale votum non ampliùs irritare poterit, quia deberet tantùm id facere in potestate tutoris, cùm suâ authoritate non possit; potestas autem Tutoris jam unâ cum officio expiravit; ergo. Quod confirmatur, quia Curator succedit solùm in illa patris potestate, quam Pa-

ter habet in pubertate filij. Aliud ait, esse in Patre, hic enim semper manet Pater, etiam post pubertatem filij, & ideo semper manet conditio illa, in voto inclusa, *si Pater non contradixerit.* Atque quòd officium tutoris statim expiret, dum filius fit pubes, probari potest ex textu Juris, *Institut: quibus modis tutela finiatur.* Ibi. *Pupilli, pupillæque, cùm puberes esse cæperint, à tutela liberantur.* Similiter etiam probatur, quòd Curator suâ auctoritate, sive sui officij, similia vota non ampliùs irritare possit. *l. in Copulandis C. de nuptiis,* Ibi, *Nec Curatoris, qui solùm rei familiaris sustinet administrationem.* Attamen huic objectioni.

Respondeo, verum esse potestatem illam non esse annexam personæ, sed officio tutoris aut Curatoris; consequens autem distinguo; ergo expirante officio totaliter, & omnimodè, expirat & potestas irritandi dicta vota, concedo; expirante officio tantùm respectu votorum personalium, & rectæ gubernationi non officientium in futurum emittendorum, non autem respectu votorum similium antecedenter in impubertate emissorum, expirat & potestas talia vota ante emissa irritandi, nego consequentiam. Pro quo iterum facit paritas à patre adducta, quod ipsum *Soarez quæsito.* 2. *citatus* de Patre admittit. Et quòd Officium non omninò ex-

piret, patet, quia licet officium tutoris sit principaliter in personam filij *per §. ad certum tempus, in fine: instit. qui testamento tutores.* Ibi *personæ, non causæ, vel rei tutor datus*; secundariò tamen etiam datur rebus. §. *datur Instit. de excusationibus tutorum.* Ibi. *datus autem tutor, ad universum Patrimonium datus esse creditur*; Sic etiam Curator, quamvis principaliter detur rebus minorum per *L. in copulandis cit.* attamen secundariò etiam datur personæ, uti ex glossa expressa *ad §. ad certum cit. V. personæ*, docet Sanchez & Molina. Cæterùm dico Curatorem succedere in illa Patris potestate quam Pater habet in pubertate Filij; sed non tantùm. Sive distinguo; succedit *solùm* in illa Patris potestate, quam Pater habet in pubertate Filij, pro pubertate Filij aut votis *tunc* emittendis nego; succedit in ea, & *simul* etiam illa, quam Pater in pubertate Filij habet, etiam adhuc pro votis Filij in impubertate emissis irritandis, concedo.

Ad 3. Propositam difficultatem, datur eadem solutio propter paritatem rationis; succedit enim & is in eandem potestatem, quam Pater habet in pubertare Filij, sicut si eadem cum præcedente tutore fuisset persona. Nec minùs huic, secundariò saltem, competit gubernatio personæ minoris.

Quærit. 5. an eodem modo, uti præcedente quæstione diximus de tutore, & curatore, vali-

validè olim mater quædam adeptâ jam Filij pubertate, & dum ipſa non erat conſtituta Curatrix, irritaverit vota perſonalia, & domeſticæ gubernationi non adverſantia, quæ ipſe impubes emiſerat? Ante reſolutionem 1. videndum eſt, an, & quando ſit poteſtas, irritandi talia vota Filij in Matre, & deinde quæſtio decidenda.

Certum ergo eſt 1. dum Pater vivit, vel dum is demortuus eſt, aut longiſſimè agit, ita ut per litteras conſultus, non niſi longiſſimo tempore expectato, reſpondere queat; aut ſi ſit amens, & ideo Filio ſit tutor, Curator, vel tandem his etiam deficientibus, adſit avus, aliique aſcendentes in ſexu virili à Patre; dum inquam ſimilibus proviſum eſt filio, certum eſt, Matrem nec in perſonalia, nec in realia vota Filij habere poteſtatem irritandi. Eſt communis authorum apud citatos.

Certum eſt 2. ſi mater ſit tutrix, aut Curatrix, poſſe omnia illa vota Filij irritare, & eodem modo, ac dictum eſt de tutore & Curatore. Quia ratio militat eadem. Eſt ſimiliter communis. Solùm ſupereſt difficultas, an mater, dum nec tutrix, nec Curatrix eſt, ſolùm ut Mater, habeat poteſtatem irritandi vota Flij, Patre omnibusque alijs gubernatoribus deſtituti? & inde reſolvendum quæſitum, an illa, ratione maternitatis poſſit vota filij, in impubertate emiſſa, irritare poſt

ejus-

ejusdem filij pubertatem? ad quam difficultatem.

Judico. 1. dicendum. Quamquàm jure positivo Matri, quâ tali, nulla sit in filium impuberem etiam, omnibus alijs gubernatoribus destitutum, irritandi potestas. *§. fœminæ Inst. de adeptionibus.* Ibi. *Fœminæ quoquè adoptare non possunt, quia nec naturales liberos in sua potestate habent.* Naturali tamen æquitati, & Juri consentaneum est, ut illa possit in dicto casu filij impuberis vota, durante impubertate propriè irritare. Cùm enim naturaliter filijs impuberibus, & teneræ adhuc ætati, insit imbecille judicium; naturaliter quoque exigitur, ut sit, quæ ejus leve judicium regat, eique loco tutoris sit. *Citatur pro hac Clavis Regia Sayri l. 6. c. 10. n. 18. in fine Soarez l. 6. de voto c. 6. n. 22.* quamquàm hic in modo loquendi, & assignanda ratione differat. *Sanch. l. 4. in decal. c. 35. n. 79. Lay. l. 4. t. 4. cap. 7. de voto n. 10. puncto 2. Castro, tract. 15. disp. 2. p. 7. n. 7. Tamb. l. 3. in decal. c. 16. §. 3. n. 21. aliique.* Quod proportione servatâ, extendunt etiam ad aviam.

Judico 2. Vota tempore pubertatis à filio emissa, licet domesticæ gubernationi adversantia sint, vel etiam purè realia; à Matre, quæ non sit Curatrix, irritari non posse; utpote quæ nullam potestatem, neque in personam, neque in filij bona habet *per §. fœminæ su-*

næ supra cit. Et ratio ulterior est, maximè quoad vota purè realia. Quia nec Pater habet potestatem, similia vota puberis irritandi, si non habet administrationem bonorum filij. Quod patet; eô quôd filio puberi tantùm possit irritare, vota paternæ gubernationi adversantia, non autem alia; Sin autem non haberet administrationem bonorum, non adversarentur paternæ gubernationi talia vota realia; ergo. Sic sentire videtur *Soarez tr. de voto. l. 6. cap. 5. in fine.* Et tenet cum Communi *Sanch. cit. n. 77. Castro cit. n. 15.* contra *Tamb.* qui pro se citat. *Sayrum in Clavi Regia l. 6. c. 10. n. ult. Saa verbo, voti irritation. 1.* (Sed hic, tam in genuina, quàm emendata editione solùm dicit, id esse juxta aliquos alios.) atq; pro eadem citat præter dictos *Castropal. Manuel, Rodriquez tom. 2. sum. cap. 91. n. 10. conclusione 9. Vega. tom. 2. sum. c. 129. casu 96. in fine. Stunica de voto. q. 3. n. 95.* Adducerem ego, paritatem à potestate Matris in filium impuberem, propter naturalem exigentiam; licet jus positivum non suffragetur; ad similem potestatem inducendam, ut Mater filio puberi, prædicta vota irritare queat; quia fortè putarem, idipsum exposcere naturam minoris. Verùm & ipsus ego mihi:

Responderem, negando consequentiam, & assignando disparitatem; quod in priori

casu

casu, id natura exigat, propter impuberis judicium ex sua natura debile, quale in pubere non est; aliàs & Pater Filij puberis vota personalia, quæ nec gubernationi, nec administrationi Paternæ, ac Domesticæ officerent, irritare posset; quod constat esse falsum. 2. Ipsa jura in ætate pubere concedunt, validè contrahi matrimonium; quod negant impuberi; ut constat ex 4. *Decret. Greg. tit.* 2. *de desponsatione impuberum.* Item concedunt professionem Religiosam anno 16. completo valere, quam nec Pater infringere possit; non autem valere ante illos annos; ergo ipsa Jura agnoscunt firmum, & sufficiens judicium in pubere; non item in impubere. Maturius enim requiritur consilium, ut quis per professionem, & se, & sua Deo offerat, quàm ut de suis rebus, & bonis tantùm disponat. Ultimò tandem ratio disparitatis est; quòd potestas irritandi vota puberum sit indirecta, & ratione materiæ; adeóque fundata in administratione bonorum. Quare cùm Mater ipso facto, quòd filius destitutus sit omni alio administratore, non acquirat hanc administrationem, nec poterit hæc vota irritare. Hinc ad difficultatem ad initium hujus *quæsiti* 5. propositam facilis & consequens est Responsio negativa. Cujus ratio est? quia nullus superesse videtur titulus, in quo hæc irritandi potestas fundari possit, cùm non se habeat

ut Pa-

ut Pater, nec in Curatoris vicem, ipſo facto ſuccedat, quemadmodum ex immediate præcedente reſolutione patet. 2. Poteſtas, quam Matri ex naturali æquitate, & exigentia in filium impuberem, omnibus alijs, qui eum regerent, deſtitutum conceſſi; adæquatè ſic expirat, dum cæptâ filij pubertate, ipſa non ſit conſtituta Curatrix; ſicut probabilius omninò ceſſaret in Patre (& magis in tutore, qui non conſtitueretur Curator.) cui aggreſsâ filij pubertate; adimeretur adminiſtratio bonorum filij. 3. Votum impuberis involuit tantùm ejus conſenſum, vel non diſſenſum, tanquam conditionem, qui in poteſtatem Patris, tutoris, ac tandem Curatoris ſuccedit: ſed tempore pubertatis Mater, non conſtituta Curatrix, in nullius vicem ſuccederet; uti probatum eſt immediate ante hanc reſponſionem; ergo votum tale non penderet tanquam à conditione, ab illius conſenſu, vel non diſſenſu; adeóque nec irritare poſſet. 4. Pater ſimilia vota poteſt irritare, quia unâ cum pubertate Filij, ipſius poteſtas tranſit in adminiſtrationem bonorum filij primariò; tutor autem factus Curator idem poteſt propter eandem rationem; & tandem ſi conſtituatur alius Curator, à præcedente tutore diſtinctus; id poteſt partim, quia ſuccedit in poteſtatem Patris, quam is habet tempore pubertatis Filij, partim quia eò ipſo, quòd habeat admi-

administrationem bonorum minoris primariò, secundariò videtur habere in ipsam personam Filij, quæ omnia deficiunt in Matre, *Sanch. l. 4. in Decal. c. 31. n. 17.* quem sequitur *Castro: cit. p. 3. §. 3. n. 7.* videturque per consequentiam, illam tenendam ab omnibus illis, qui *in judicio secundo*, paulò ante adducto conveniunt, quorum non paucos apud *cit. Sanchez c. 35. n. 74. & 77.* reperire est.

Dices 1. (quod *quæsito 2.* pro ratione attulimus) sic non fore satis prospectum teneræ ætati, & puberi deinde filio.

Respondeo, adhuc satis fore prospectum; quia cum inter causas dispensandi, non minima sit ætatis, judiciique in vovendo imbecillitas; facilè dispensabitur. Sed instabis &

Dices 2. ergo etiam *in quæsito 2.* illa ratio pro Patre nil probat.

Respondeo negando illatum, quia tunc non satis prospectum foret, cum irritatio sit facilior modus tollendi votum, quàm dispensatio; illaque in Patre, dicto modo, cum fundamento admitti potest; ergo non est deneganda. Non autem videtur sufficiens fundamentum illam admittendi in Matre. Quin nec ibi, hoc ipsum pro fundamento principali adductum est.

Dices 3. Votum impuberis, propter judicij imbecillitatem, includit tanquam conditionem consensum, vel non dissensum Patris, ejusque locum tenentis: ast Mater, eo tempore impubertatis, erat loco Patris, aut tutoris; ergo quoad votorum irritationem includebat ejus consensum; atqui adhuc semper verum est, etiam inpubertate Filii, quòd votum ejus in impubertate fuerit ex imbecilli judicio emissum; ergo adhuc poterit irritare Mater; eò, quòd sicut propter imbecille judicium durat illa conditio, ita ipsa potestas Matris habita in filij impubertate moraliter durabit post ejus pubertatem.

Respondeo durare quidem illam conditionem; seu propter imbecille judicium, involvi adhuc consensum, vel non dissensum Patris, aut ejus, qui loco Patris sit; at Mater tempore pubertatis, si non sit Curatrix, non est loco Patris quoad irritationem votorum, uti antecedenter probatum est; ergo ejus consensum, vel non dissensum, tale votum, tempore pubertatis filij, non ampliùs involvet; consequenter neque illa ampliùs illud irritare poterit. Quemadmodum nec Tutor, Postquam nec talis, nec curator est, illa ampliùs irritare posset.

Dices 4. Disparitatem esse de tutore; Quia tutoris officium, in pubertate omninò cessat; non autem Matris, quia hæc saltem semper adhuc manet Mater.

Re-

Respondetur: Matrem, in impubertate filij illam potestatem non habere, quia Mater est, sed quia loco Patris, aut tutoris venit; ideòque quando vices Patris, tutoris, aut tantum Curatoris non agit (sicut hujus non agere, nisi adhoc constituta sit, dictum est.) irritare non poterit, ut ut mater perseveret. Propter adductas tamen in his objectionibus rationes, videbitur fortè cuidam contraria sententia non improbabilis, quam probabilem tenet *Tamb. l. 3. c. 16. in Decal.* §. 3. *n.* 23. citans *Sayr. in Clavi Regia l. 6. c.* 10. Eamque ob consequentiæ rationem, videntur debere admittere, qui Matri concedunt potestatem irritandi vota filij, in pubertate emissa, quæ gubernationi Maternæ præjudicant, quos citavi supra in *Judico secundo.*

Quærit 6. An Abbatissa, seu Priorissa possit irritare vota suarum Monialium?

Respondetur breviter 1. posse saltem indirectè & ratione materiæ illa, quæ domesticæ gubernationi præjudicant, seu obsunt. Ita ss *l.* 2. *c.* 4. *D.* 18. *num.* 133. *Soarez l. 6. de Rel. c.* 7. *n. ult. Sanch. l.* 4. *cap.* 33. *n.* 19. *Castro. tr.* 15. *disp.* 2. *p.* 8. *num.* 7. *Tamb. l.* 3. *c.* 16. §. 3. *n.* 31. *aliique communiter.* Et ratio est 1. quia ad hoc non requiritur jurisdictio, nec potestas quædam spiritualis propriè dicta; sed sufficit jus & potestas quædam domestica, & politica gubernandi domum, & fami-

familiam, qualem profectò Abbatissa, seu Priorissa habet. Unde per obedientiam in professione præstitam, saltem quòad similia vota, subsunt iisdem moniales subditæ; adeóque hanc conditionem: Si *Abbatissa, aut Priorissa consenserit* includunt; ergo & illa irritare poterunt. De quo Doctorum nullum reperi dubitantem. Itaque de irritatione votorum directa circa vota, quæ gubernationi Domesticæ non obsunt, quæstio decidenda est. Ad quam:

Respondetur 2. Probabilius mihi videri, Abbatissis, seu Priorissis nullam esse potestatem irritandi directè vota suarum Monialium, communi conventûs paci, ac Domesticæ gubernationi non adversantia. Est contra *Soarez l. 6. de voto c. 7. n. ult. Sanchez l. 4. in Decal. c. 33. n. 19. Tamb. l. 3. in Decal. c. 16. §. 3. n. 31.* aliosque à *Sanchez cit.* quibus accedere videtur *Less. l. 2. de voto c. 40. dub. 18. n. 133.* Nihilominus hanc responsionem ex *Azor tom. 1. Instit. moral. l. 11. c. 17. q. 3. ad finem* tenet *Castropal. t. 15. disp. 2. p. 8. n. 7.* Et probo. Potestas irritandi, est potestas Dominativa; ergo illa debet huic proportionari: Abbatissæ autem, vel Priorissæ, tantùm habent potestatem Dominativam, quoad gubernationem domesticam, & quasi politicam, uti ipse *Sanchez l. 6. in Decal. c. 1. n. 17.* docet. Ergo tantùm illa vota irritare poterunt, quæ huic

huic gubernationi adversantur; non autem directè, & quæcunque vota pro libitu. 2. Authores contrarij fundant se in obedientia, quā moniales in professione non solis Prælatis, sed etiam ipsis Abbatissis, vel Priorissis promittunt, at verò ijdem authores, uti videre est apud *Sanch. l. 6. cit.* concedunt, & agnoscunt tantùm obedientiam eisdem promitti illam, in ijs in rebus, quæ gubernationem Domesticam; & quasi Civilem concernunt. Ex quibus sic arguo Abbatissæ, &c. potestas irritandi, est fundata in obedientia ei debita, & per professionem promissa; sed est illi tantùm promissa, obedientia quoad gubernationem rectam domesticam; ergo potestas ejus irritandi, habet tantùm fundamentum, & se extendit ad ea, quæ dictæ gubernationi adversantur. 3. Quod ex dictis sequitur, Abbatissæ, &c. non possunt imponere præcepta spiritualia, nec aliquid mandare sub virtute sanctæ obedientiæ; quod iterum docet *Sanch.* loco *cit.* cur ergo eis deberet competere directa, & absoluta potestas irritandi, quæcunque vota, ad spiritualem profectum tendentia? tandem sufficit hanc potestatem esse in iis Prælatis, quibus Moniales subsunt, nec est ulla necessitas, ipsis Abbatissis, seu Priorissis, verbo, sexui adeò (uti loquitur *Sanch. cit l. 6. c. 1. n.* 17.) prudentiâ destituto, tantam potestatem concedendi.

Inde patet, quantò majore in hoc potestate gaudeant Prælati, ac Priores immediati locorum, similésque Superiores. Quibus ex communi omnium sententia, concessa est potestas directa, & absoluta irritandi quæcunque suorum subditorum Religiosorum vota, præter votum ingrediendi strictiorem ordinem, & vota ipsa solennia, per quæ subditus constituitur in statu religioso.

Quærit. 7. an Maritus possit irritare omnia vota Uxoris, constante matrimonio emissa, quamvis nec usui matrimonij, nec filiorum educationi, aut domesticæ gubernationi, verbo, quamvis marito nullatenus præjudicent?

Videtur quod sic: Ratio 1. est ex *Num. c.* 30. ubi habetur. *Uxor in domo viri, cùm se voto constrinxerit, & juramento, si audierit vir, & tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcunque promiserat, sin autem ex templò contradixerit, non tenebitur promissionis rea: quia maritus contradixit & Dominus ei propitius erit &c.* Similia, *eodem cap.* item *Gen* 3. iterum à Deo absolutè dicitur mulieri *sub potestate viri eris, & ipse Dominabitur tui.* Tandem ad *Ephes.* 5. habetur, *mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir est caput mulieris. Sicut Christus caput est Ecclesiæ, sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.* Qui textus indefinitè, & sine exceptio-

ceptione loquuntur: ergo. 2. Ratio est ex S. *Thoma.* 2. 2. *q.* 88. *a.* 8. *ad* 3. Ubi compa-rat votum Uxoris voto Religiosi, quod (qua-cunque tandem sit) negat posse esse firmum nisi de consensu Superioris. Ex quo claré patet, *S. Thomam* sentire, posse Maritum om-nia vota uxoris irritare sicut Superior Reli-gionis. 3. Probatur ex *S. Augustino in lib. Num. relato. C. noluit* 33. *q.* 5. Ibi *noluit itaque lex mulierem aliquid vovere, ut non in aliquarum rerum licitarum abstinentia, in ejusdem votis fœ-mina valeat authoritas, sed virilis.* Et idem *C. Manifestum eâdem q: manifestum est, ita vo-luisse legem fœminam sub viro esse, ut nulla ejus vota, quæ abstinentiæ causa voverit, reddantur ab ea nisi author vir fuerit permittendo. Ex D. Ambrosio lib. de Paradiso relato C. fin. eâdem quæst. ubi glossa nulla vota abstinentiæ, vel Reli-giosæ Conversationis, sine licentia viri licere mu-lieri DEO offere.* In idem affertur *D. Bona-ventura* 4. *dis.* 32. *in exposit. litt. n.* 4. Quæ omnia innuunt potestatem in viro, omnia & quæcunque vota uxoris irritandi, præter in-fra adducenda. Probatur 4. ratione: Et lex & finis Matrimonii maximam pacem, con-cordiam, & amorem requirunt inter conju-ges; sicut & rectam domûs gubernationem, & filiorum educationem; ergo requirunt etiam media adhoc necessaria; sed optimum ad hoc medium, est perfecta subjectio volun-

catis ipsius Uxoris viro, quoad novas obligationes contrahendas, ergo ex lege, & fine Matrimonij uxoris voluntas est perfectè subjecta viro; & consequenter vir, debet posse omnia omninò vota uxoris directè itritare, 2. Fœminis est judicium, atque prudentia exigua; magna autem facilitas ad imprudenter vovendum; ergo omni meliori modo his consulere, atque prospicere oportuit, maximè dum conjugatæ, majoribus oneribus v. g. placendi viro, &c. oneratæ sint, adeóque majori prudentiâ præditæ esse deberent, quàm solutæ. Neque hæ rationes pariter idem probant de servis respectu Dominorum; nam horum vinculum non est ex mutuo contractu, aut naturâ suâ perpetuum, sicut fœminæ conjugatæ; neque ille est socius gubernationis domesticæ, &c. uti hæ. Hanc sententiam ut probabiliorem tenet. *Sanchez l. 4. in decal. c. 34. n. 3. & l 9. de matri. disp. 39. n. 4.* Citans quàm plurimos. Hunc sequitur *Tamb. l. 3. in Decal. c. 16. §. 3. n. 48.* Cui sententiæ, præsertim ob authoritatem, posset se quis, cui placeret, conformare. Verùm

Respondendum & dicendum mihi videtur, maritum non habere directam potestatem irritandi vota uxoris, sed solam indirectam & ratione materiæ: ac consequenter posse solùm ea vota uxoris, irritare, quæ sibi præjudicant, e. g. in usu matrimonij, educatione pro-

prolis, ac domûs gubernatione; non autem omnia, & quæcunque. Hanc post alios antiquiores tenet *Navarrus in sum. c. 12. n. 61. & 64. Filliucius tract. 26. c. 8. n. 235. Sayr. in Clavi Regia l. 6. c. 5. n. 8. & c. 10. n. 19. cit. à Sanch. Soarez l. 6. de voto. c. 4. Less. l. 2. C. 40. de voto dub. 15. n. 89. Lay. l. 4. tract. 4. c. 7. n. 12. Castro. tract. 15. disp. 2. p. 6. n. 2.* Aliique tum Theologi, tum Canonistæ, eamque *Sanch. in Decal. loco citato n. 2.* & de Matri: *loco citato n. 3.* vocat valdè probabilem, citans pro ea utroque loco quàmplurimos authores præsertim antiquiores. Et quidem quòd vir possit vota uxoris sibi præjudicantia irritare, est communis omnium. Solummodo controversia est, an illa tundaxat? quod tenendum judico, & breviter.

Probo. 1. Subjectio uxoris respectu viri, ex qua potestas irritativa in viro oritur, tota fundatur in vinculo matrimonii; ergo satis est, si huic vinculo commensurata sit, & proportionata: Commensuratur autem illa subjectio, si sit in illis, quæ tale vinculum exigit, puta usum matrimonii, educationem prolis, & domûs gubernationem; ergo subjectio in his sufficit; ergo & tanta admittenda est in viro irritandi potestas, & non major, ne media excedant finem, effectus causam. Probatur. 2. & confirmatur, quia major subjectio nec ex jure positivo, nec ex aliqua speciali obligatio-

ne (per se loquendo, & contractum matrimonii regulariter accipiendo) colligi potest, quemadmodum ex solutione argumentorum pro prima sententia patebit. 3. subjectio uxoris erga virum, per se ordinatur ad humana, & corporalia, non autem ad spiritualia; ergo non est, quòd uxor, quoad ipsam voluntatem, in omnibus viro subjecta esse debeat, nec aliunde est tam imbecillis judicii, quin cum sufficienti discretione aliquid vovere possit, sicuti patet dum soluta vovet. Estque ut ait *Soarez* hæc subjectio uxoris, magis ex ratione naturali, colligenda, quàm ex lege aliqua positiva; ratio autem naturalis non dictat tantam subjectionem; sed solùm quam adduxi. Ad argumenta in contrarium adducta:

Respondetur ad. I. *ex C. 30. Num.* adductum, quòd illa lex sit purè positiva, cæremonialis, aut judicialis pro illo populo; adeóque per mortem Christi sit abolita, non veró quòd sit negativa, aut lex naturæ; uti liquet ex aliis, quæ eodem *Capit.* de similibus votis habentur, nec tamen moderno tempore practicari valent. 2. alii ex *S. August.* etiam respondent, ibi tantùm agi de votis abstinentiæ, quibus corpus uxoris, non absquè præjudicio viri, affligitur. 3. dici posset, illam legem intelligendam esse de uxore formaliter tale, seu quâ uxor est, & subjecta; adeóque vota illarum rerum â viro irritari posse, in quibus uxor viro

viro subdita est. Ad 2. illud *Genesis* 3. ajo verum esse in iis, in quibus constat, uxorem subjectam esse viro; Sicuti etiam immediatè sequens textus *ad Ephes.* explicari debet, in sensu accommodo, non minùs, quàm ille *Apost.* *ad tit.* 2. ubi hortatur servos, dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, & in omnibus bonam fidem ostendentes; & tamen servi non quoad omnia vota, sunt sub potestate Dominorum. Tandē cōmunis (etiam nonnullorum ex contraria sententia) sententia est, in usu matrimonii conjuges esse pares; adeóque maritum non posse irritare votum continentiæ, aut religionis â conjuge emissum, nisi quatenus sibi præjudicat; quod idem *Sanch. cit n.*15. tenet saltem de voto castitatis ab uxore emisso, cum mutuo conjugum consensu. Unde sequitur, maritum non pollere directâ irritandi potestate, in voluntatem uxoris; nam aliàs etiam votum continentiæ absolutè, absque restrictione irritare posset; sicut potest pater, filii impuberis, non obstante quòd dederit consensum, & promiserit illum non revocare. Adeóque cùm hoc non possit maritus, clarum videtur, illos textus in sensu accommodo, & formali accipiendos esse. Plurimum etiam (ut fateor, quod est) urget *S. Thom.* allegatus, quem *Soarez* tamen ait loqui vel admodum in genere, adeóque cum proportione posse intelligi; vel restrictè, in sensu scilicet,

uxoris formaliter, & reduplicativè acceptæ. Nihilominus præter hoc ipſum, ulteriùs poſſe explicari videtur *S. Thomas*, & explicatio *Soarez* confirmari; nam S. D. loco cit. non minùs aſſimilat, puellam exiſtentem in domo Patris, & ipſum Patrem, quàm uxorem & maritum, Religioſo & ejusdem ſuperiori; atqui conſtat Patrem non poſſe omnia vota puellæ (ſub intellige puberis) in domo patris exiſtentis irritare; ſed tantùm in ſenſu accommodo, quæ obſunt domeſticæ gubernationi, & paternæ; ergo pariter vota uxoris, in ſenſu accommodo intelligenda erunt; utrobique enim abſolutè loquitur *S. Thomas* dum facit illam aſſimilationem, & comparationem. Atque idem Angelicus Doctor *in* 4. *diſt.* 32. in expoſitione litteræ *cit. à Lay.* ait, votum continentiæ ab uxore cum viri conſenſu approbativo emiſſum, non poſſe deinde à marito irritari, cum tamen *Sanchez*, & alii communiter doceant, habentes poteſtatem directam irritandi vota poſſe illa irritare, non obſtante datâ licentiâ; ex quo fit *S. Th.* nobiſcum ſentire. Et ne ſibi contrarius videatur, explicandum eſſe dicto modo. Accedit, quòd uxor in omnium ſententia, etiam poſſit quædam vota viri irritare, quod tamen nec impubes reſpectu Patris poteſt, nec religioſus reſpectu ſuperioris; Unde colligere licet, non eſſe æqualem omninò horum omnium ſubjectionem; ſed com-

comparationem, & assimilationem fieri, considerando uniuscujusque potestatem in suo genere. Ad 3. & aliorum Patrum authoritatem, similiter respondeo, illos loqui de votis abstinentiæ cum viri præjudicio, & in sensu accommodo, quemadmodum ex ipso textu licet colligere. Ad 4. ex ratione deductum, dico, sufficere subjectionem, quanta necessaria est non autem est necessaria omnimoda; sed quanta sufficit ad bonum & pacificum matrimonium conservandum. Quin imò, plena omninò subjectio, non rarò magis posset turbare pacem, dum fœminæ aliàs officiosæ, & quandóque arrogantes, scirent nulla omninò se potestate gaudere, etiam quoad propriam personam & actus, cùm interim non tam sint servæ, quàm sociæ viri. Tandem fœminæ non sunt ita judicio destitutæ atque prudentiâ, ut exinde viro attribui debeat directa irritandi potestas, omnium votorum, nam aliàs ex naturali æquitate, deberet illis etiam non conjugatis, provideri de potestate directè irritandi, omnia vota, sicut impuberibus.

Observandum tamen est, posse quandoque uxorem esse liberam à voti etiam non præjudicantis obligatione, seu potiùs executione saltem ad tempus, quo maritus contradicit, vel iniquo animo fert; adeóque dum voti talis executio turbaret pacem, & concordiam. Verùm non ideò, quia tunc vir contradicendo pro-

propriè irritaret, sed potiùs quia propter tales circumstantias, moraliter esset mutata materia voti de meliori bono, & impediens melius bonum, nempe concordiam conjugalem. Ex dictis:

Deducitur I. etiam cùm *Sanchez & adversariis*, vota uxoris facta ante matrimonium initum, non posse à viro directè irritari, sive præjudicent, sive non. Quia tunc, dum fierent, sub nullius potestate, etiam nullam involvebant conditionem consensûs viri; sed tantùm suspendi posse eorum executionem si præjudicent, aut pacem turbent; usque dum præjudicium tale, & perturbatio cesset, v. g. soluto matrimonio, ubi obligatio voti iterum urgebit; nisi aliundè in certum tempus factum, illud expiraverit. Quæ applicanda sunt ad vota uxoris, facta stante divortio ob viri adulterium, aut condemnatam hæresim ejusdem; ut nempe maritus deinde reconciliatus, non possit dicto modo irritare, sed tantùm præjudicantia suspendere.

Deducitur. 2. in utraque sententia, probabiliter posse maritum directè irritare omnia illa vota uxoris, quæ illa tempore impubertatis emiserat, atque à parente, tutore &c. irritari poterant. Non quidem quia maritus est, sed quia in vicem parentis, aut tutoris succedere censetur. Hæc etiam, juxta superiùs adducta, extendi possunt ad vota uxoris in pu-

ber-

bertate emissa; ut ea saltem indirectè maritus irritare possit, quæ poterat parens, aut Curator; nam maritus acquirit bonorum uxoris administrationem, succeditque loco curatoris. Quæ intelligenda sunt, etiamsi tempore voti emissi, uxor nec Patrem, nec tutorem, aut Curatorem habuerit.

Deducitur 3. vota uxoris emissa contracto matrimonio, tantùm rato, nondum consumato, posse in secunda sententia, quam teneo, indirectè irritari à marito illa, quæ præjudicant, non alia; sicut si matrimonium fuisset consumatum, maritus enim, jam per ipsum contractum, acquirit hanc superioratûs potestatem: quamquàm in prima sententia, possit directè omnia, præter votum Religionis, & fortè castitatis, quæ quidem in secunda sententia per se excipiuntur, nisi quòd, in quantum votum castitatis præjudicat, suspendi queat. Excipitur 1. votum ingrediendæ Religionis, partim quia primo bimestri, ante consummationem, jus ei tribuit libertatem ingrediendi Religionem, vel perseverandi in matrimonio; partim quia per executionem hujus voti, constituitur extra potestatem mariti, unde non est consentaneum, ut illud maritus irritare possit, per quod, ex jure, extra mariti potestatem constituitur uxor. sicut è contrario dictum est de superiore Religionis, quoad vota substantialia Religionis. Nihilominus si neglecto

glecto tali voto uxor (non absque peccato; dum votum Religionis est absolutum, & simpliciter tale; vel pro tempore illo) matrimonium consumaverit, manebit votum interim in suspenso; poteritque constante matrimonio & reddere, & petere debitum. Dixi interim manebit in suspenso, quia defuncto viro; aut facto, & constante divortio, vel si item vir velit ad Religionem converti, uxorique consentiat, votum reviviscit. Excipitur 2. votum castitatis, quod tempore matrimonii, sed ante consumationem ejusdem emissum; vir in secunda sententia irritare non potest; etiam post consumatum matrimonium, saltem quoad effectum non petendi debitum conjugale; aliosque effectus viro non præjudicantes; (quoad effectum verò reddendi consumato semel matrimonio per se tale votum cessat, & invalidum fit, utpotè contra justitiam.) In usu enim matrimonii conjuges sunt pares, nec majus jus habet vir in uxorem, ac uxor in virum. In prima tamen sententia contraria, poterit vir etiam hoc votum absolutè, & directè irritare; non quidem ratione materiæ, quæ sibi præjudicaret; sed ratione potestatis in ipsam voluntatem conjugis. In qua sententia, factâ tali irritatione, uxor posset etiam petere; nec unquam ejus obligatio revivisceret: quia votum jam esset absolutè irritum. Aliunde votum castitatis, non est votum Religionis, in quo
icle

solo primo bimestri, ante consumationem, uxor est suæ voluntatis, & libertatis. Ex quibus ulteriùs:

Deducitur. 4. Votum Religionis ab uxore, constante matrimonio jam consumato, absque licentia mariti, emissum; si 1. sit absolutum, sine temporis determinatione, in secunda sententia posse solùm indirectè irritari, & pro interim suspendi, redibit tamen obligatio soluto matrimonio. Si secundo, sit pro tempore ante dissolutum matrimonium, poterit similiter irritari; imò per se erit invalidum, si voveat sine viri consensu exequi, utpotè non de re meliore, sed contra justitiam. Si tertio, sit in tempus dissoluti matrimonij, non poterit à viro irritari. Dixi in secunda sententia, nam in prima maritus semper poterit validè irritare sine reviviscentia.

Sed quid, si cum licentia viri, uxor consumato matrimonio, tale votum emisit?

℟. 1. Supponendo quod alibi jam dictum est, quòd is, qui simpliciter dat licentiam vovendi, absque pacto aut promissione eandem non revocandi; vel etiam absque animo, sic cedendi juri suo, non censeatur eò ipso cedere juri suo, quòd, inquam, adhuc possit maritus validè tale votum uxoris indirectè irritare, seu suspendere, quantùm sibi præjudicat; ita ut cessante præjudicio v. g. per mortem mariti, obligatio ejusdem teneat; quia licet dederit

vovendi licentiam, non tamen eò ipso censendus est dedisse licentiam eodem tempore exequendi, quin imò, uti constat *ex toto titulo de conversione conjugatorum*, talis licentia quoad valorem, seu voti executionem pro tempore constantis matrimonii nihil operatur (nisi quòd in sententia prima hoc quæsito adducta, admittente hoc etiam votum à marito, non obstante semel datâ licentiâ, posse directè, & absolutè, sine ulla obligationis reviviscentia irritari, requirat ad licitam irritationem majorem causam juxta dicta) si non & altera pars præstet id, quod â jure præscriptum est; adeóque tale votum, quantùm ad valorem, & executionem habebit eundem effectum, acsi absque licentia emissum fuisset, de quo antecedenter.

Sed quid secundò, si mutuo consensu, atque pacto, adeóque animo renuntiandi suæ potestati, uterque conjugum, constante matrimonio consumato, voveat Religionem? vel si uxor sit vetula, continentiam; vir autem Religionem, aut ordines sacros?

Notanter dico *uxor vetula*; nam si sit juvenis, & de qua suspicio incontinentiæ haberi possit, requirunt jura. *C. cùm sis. de convers. conjugatorum*, ut & ipsa religionem voveat, ad hoc ut mariti votum obliget ad executionem; adeóque ex jure, votum Religionis viri, ex pacto, & consensu mutuo emissum, invol‑

folvit conditionem, *si etiam uxor secundùm jus faciat.*

Respondeo, neutrum conjugum posse alterius hoc votum irritare validè; partim quia juxta authores, quos sequor, maritus tantùm potest votum uxoris indirectè irritare, adeóque potest cedere juri suo irritandi, cui sic clarum est cedere; partim quia similia vota, tendunt, ex voventium libera voluntate, in destructionem statûs matrimonii, in quo sunt: volunt enim per tale votum, & pactum, una pars ab alterius jurisdictione liberari, adeóque cedere juri suo, quod habebant ad irritandum.

Deducitur 5. Votum castitatis ab uxore emissum, constante matrimonio consumato, si sine mariti licentia sit emissum, poterit in mea sententia irritari indirectè in iis eventibus, in quibus præjudicat marito. Imò nullâ opus est irritatione, nam quoad petitionem debiti rarò præjudicat marito, sicut nec quoad alios effectus abstinendi ab omni actu venereo illicito, adeóque quoad hæc irritare non poterit; quoad redditionem autem, tale votum per se est invalidum, quia esset de materia contra justitiam. Sin autem simpliciter (absque addito animo cedendi juri suo petendi, vel irritandi) cum licentia viri sit emissum, poterit nihilominùs is id irritare, id est suspendere, sicut de voto Religionis diximus, quantùm sibi

præjudicat, v. g. debiti redditionem, quoad hoc enim, vel ſimilia hæc materia eſt ſub poteſtate viri. In prima tamen ſententia contraria, poterit maritus ſimilia vota abſolutè, directè & absque reviviſcentia, quoad omnes effectus irritare, licet factum ſit in tempus ſoluti matrimonii; & quidem ſemper validè, non tamen ſemper licitè, niſi ſufficiens cauſa ſubſit. Dictum eſt ſi cum ſimplici licentia, absque pacto vel promiſſione non revocandi eandem, vel absque animo cedendi juri ſuo, quoad petendum vel irritandum; nam his circumſtantiis accedentibus, judico non poſſe validè ulteriùs maritum irritare tale votum, quia non amplius præjudicat in iis, in quibus ceſſio habiti juris facta eſt. Si tandem ex mutuo conſenſu conjugum, & pacto uterque voveat caſtitatem, neuter poterit alterius votum validè irritare. Nam tunc hoc videtur fieri in eum finem, quo pleniùs & abſolutè, quævis pars poſſit ſervare continentiam, quæ plenè ſervari non poteſt, niſi quæque pars ſuo juri, etiam petendi cedat ex toto, quoad hanc materiam, ſicque quævis pars, quoad actum matrimonii, conſtituat alteram extra ſuum jus, & juriſdictionem, faciatque alteram partem ſui juris, unde maritus non retinet ullam auctoritatem irritandi aut ſuſpendendi; ſi enim adhuc validè poſſet ſaltem petere, jam indirectè, ſeu potiùs remotè poſſet irritare, petendo vel exigendo

jure,

jure, & validè materiam, cum alterius voto, incompossibilem. Ubi tamen DD. communiter advertunt, quòd si deinde pœnitentiâ v. g. ducti conjuges, resiliant liberè à tali pacto, aut contractu, eumque liberè rescindant, tanquam purè humanum, sicut cùm liberè iniecunt; sicque pars partem, in pristinam subjectionem & statum, constituat; poterunt illa vota invicem validè irritare, sicut si pactum nullum intercessisset; poteritque juxta probabilem, etiam ipsa uxor, marito votum hoc castitatis, etiam quoad petendum (si sibi præ verecundia petere non audenti, cedat in præjudicium, cùm vir nunquam petat, vel petere audeat,) poterit, inquã in tali casu etiam uxor hoc præstare, sicut probabiliter, ante tale pactum, vel contractum, poterat votũ mariti de non petendo debito irritare, quatenus dicto modo præjudicaret; quamquam in communi sententia, vir non valeat (regulariter loquendo) votum uxoris de non petendo irritare, ob rationem contrariam. Hìc tamen bene notandum, talem rescissionem, vel anullationem facti pacti, aut contractûs, non posse licitè, & absque gravi mortali peccato fieri, nisi gravissima de causa; & non suppetente alio modo, redeundi ad facultatem pristinam. Ex quibus ulteriùs:

Deducitur 6. Etiam uxorem posse irritare vota mariti sibi præjudicantia; puta ea in qui-

bus vir ex lege Matrimonii, vel alteriùs contractûs, tenetur se uxori accommodare, v. g. in actu matrimonii, conjunctione tori, & Domicilii, & cæteris similibus, requirentibus uxoris consensum ad executionem; inter quæ numerant, gestare habitum religiosum, uxori odiosum, seu onerosum, longa jejunia, peregrinationes &c. nisi gravissima causa (de quibus DD. passim, & de quibus, casus hic locorum, & temporum rarus) obsit.

Ultimò tandem, & Dominus sui servi, & Herus sui famuli, ex contractu, ac justitia obligati, vota, indirectè irritare validè potest, quatenus sibi præjudicant in suo dominio, & jure. Obligatio enim justitiæ, cuique alteri obligationi voluntariæ, præferenda est; An autem Dominus, Herus, ac etiam Magister, possit servi, famuli, discipuli impuberis vota, directè irritare, dum hi omnibus aliis superioribus, hanc potestatem habentibus, destituti sunt, multi concedunt, multi negant. Hactenus deducta, & adducta colliguntur ex DD. supra citatis, pro principali quæsito. Atque hæc de irritatione. Nunc de dispensatione votorum.

Quærit 8. Invisus hic Nemo, jam secundò Pater; an factus Parochus, ordinariâ jurisdictione, absque speciali privilegio, possit (quemadmodùm jam sæpiùs practicaverat) in votis suorum subditorum dispensare? Ante responsionem:

Sup-

Suppono 1. Cum *S. Th.* 2. 2. *q.* 88. *a.* 10. quem Communiter DD. Catholici sequuntur, dari in Ecclesia potestatem dispensandi propriè talem.

Supppono 2. Ex dictis, irritationem, & dispensationem, quamquàm quoad suum effe-ctum ferè conveniant, dum utraque relaxat, & remittit votum; in aliis tamen differre, utpotè quia illa est actus Dominii; hæc jurisdi-ctionis spiritualis, & Ecccleſiasticæ. Illa fit nomine proprio; hæc nomine Dei, adeóque hæc ad sui valorem requirit causam, quia Deus non censetur approbare, quod temerè fit; non autem illa.

Suppono 3. Summum Pontificem, inprimis, omnia quorumcunque Christianorum vota simplicia; deinde ArchiEpiscopum confirmatum (factà legitimá appellatione, etiam vota subditorum, suorum suffraganeorum) 3. Episcopum; Capitulum sede vacante; Abbates, qui jurisdictione Episcopali gaudent; Prælatos exemptos, vel ordinum exemptorum; Legatos S. Pontificis in legationis provincia; Pœnitentiarium S. Pontificis, aliosque, qui vel tali privilegio, vel delegatâ ad hoc potestate gaudent, posse suorum subditorum vota simplicia, S. Pontifici non reservata, dispensare: Abbatissæ autem in hoc nihil possunt, sicuti patet ex supponendo 2. & communi omnium sententia. Dixi non reservata S. Pontifici,

nam 5. sunt vota simplicia S. Pontifici reservata, 1. votum castitatis perpetuæ. 2. votum ingrediendæ religionis. 3. votum peregrinandi Romam, seu ad limina Apostolorum. 4. peregrinandi Hierosolymam. 5. peregrinandi ad S. Jacobum Compostellam devotionis causâ. Quæ vota tamen, cùm de reservatione agatur, strictâ interpretatione talia esse oportebit, ut reservata censeantur; nec sufficit si quodammodò videantur, aut censeantur habere assimilitudinem. Dicta de votis reservatis, sunt intelligenda, quòd regulariter non possint ab ullo alio dispensari; nam non desunt casus, in quibus Episcopi possunt dispensare in quibusdam votis reservatis, saltem cum effectu temporaneo, seu ad tempus subsistentis causæ & necessitatis, uti cum communi pro certo suppono. Sin autem aliquis haberet speciale privilegium, absolutè dispensandi in votis reservatis, posset etiam absolutè dispensare. Similiter non potest dispensari in votis, ubi dispensatio fit in præjudicium tertii, v.g. jam habentis jus acquisitum per acceptationem, aut etiam traditionem. Hinc ad quæsitum de Parocho breviter.

℞. Eum non posse validè dispensare in votis. Ratio est, quia, cùm dispensatio sit actus jurisdictionis, hanc quoad vota deberet habere vel jure, vel consuetudine, vel privilegio vel tandem, aut delegatione hâc super re datâ:

Verùm

Verùm nec de jure, nec consuetudine hac ullibi fit mentio, quin potiùs consuetudo in genere apud Parochos contrarium suadeat, neque aliquod generale privilegium exstat; ergò. Sin autem speciali quâdam delegatione id cuidam permittitur, validè & licitè (si inter limites concessionis permaneat) eâdem fruetur.

Nec obest, si cum nonnullis dicas, posse Parochum, dum non est facilis ad Episcopum accessus, dispensare in lege Jejunii, & quandoque diebus festivis, quæ sunt leges publicæ; ergo multò magis in voto, quod se tantùm habet instar legis privatæ.

Respondetur enim, quòd potestas illa dispensandi (si tamen in his præfatis sit vera dispensatio, & non magis declaratio nullius pro tunc obligationis.) sit per consuetudinem acquisita; Jurisdictio autem per consuetudinem à quodam acquisita ad unum non valet extendi ad aliud. Sic ex *S. Th.* 2.2. q. 88. *a.* 12. colligentes sentiunt *Soarez l.* 6. c. 10. *n.* 11. *Sanch. de matri. l.* 8. *disp.* 9. *n.* 27. *Less. l.* 2. *c.* 40. *dub.* 18. *n.* 135. *Castro. tr.* 15. *disp.* 2. *punct.* 10. *n.* 1. Aliique communiter, idemque tenendum quoad commutationem in notabiliter minus.

Quærit 9. An dum bonâ fide, tam ex parte petentis, quàm dispensantis, ac putatâ justâ dispensandi causâ facta est dispensatio ab

 haben-

habente potestatem post modum verò reperiatur, nullam vel insufficientem fuisse causam, valida adhuc maneat dispensatio? In qua quæstione involuta est etiam illa, an cum causa dubia valeat superior dispensare? Item an debeat causa reverà esse talis, vel sufficiat etiam ad valorem talis existimata? ante responsionem.

Suppono ex dictis, ad validam dispensationem, requiri causam, quæ debebit esse urgentior, quò majus est votum; & quia juxta modernam Ecclesiæ praxim, communiter non solet dari pura dispensatio, quò majus est votum, vel quò minùs urget causa ad dispensandum, eò magis est admiscenda commutatio, ac majus opus subrogandum. Generalis autem Regula ex communi authorum, quæ nam sint causæ in particulari ad dispensandum, solet tradi hæc. Illas causas sufficere ad purè, vel ad mixtim dispensandum, quæ, prudentum judicio, executioni voti, vel ex toto, vel ex parte obstant. Inter quales numerantur imperfecta in vovendo deliberatio, proveniens vel ex tenera ætate, vel ex turbatione mentis, irâ, tristitiâ, metu, (etiam levi ab extrinseco, & causa libera incusso,) huc pertinet item facilitas, & levitas ad imprudenter vovendum, uti non rarò contingit in fœminis. Dolus quoque, vel error in causa impulsiva, vel aliqua conditione cau-

ſam præbent, ad dicto modo diſpenſandum. Difficultas item notabilis exequendi votum, ſaltem non prævisa, Damnum ſpirituale, v. g. ſi alicui materia voti nonnihil ſit inutilis, mala, impediens majus bonum, dum v. g. votum eſt cauſa ruinæ ſpiritualis, uti contingere poteſt in voto Caſtitatis conjugati; aut in eo, qui ſuâ fragilitate aut experientiâ doctus illud ſæpè adhuc violandum prutenter timet. Accedit etiam ſi major utilitas ſpiritualis, ex diſpenſatione, voto obſtricto eventura ſperetur. Similis etiam cauſa eſt, ſi voto obſtrictus multis ſcrupulis in voto exequendo dive-xetur.

Dices ex quibusdam hîc cauſis, à damno ſpirituali deductis, votum quandoque vel ex ſe ceſſat, ob mutatam materiam, vel certè irritationi licitè exequendæ locus erit; unde fruſtranea erit diſpenſatio, neq; hæ cauſæ inter cauſas diſpenſandi legitimè numerantur.

℞. 1. Hîc nos non loqui de cauſis iſtis quatenus planè ſufficientes ſint, ut ex illis ceſſet vel per ſe votum, vel illud omnino, irritari poſſit; ſed ſenſus eſt de illis cauſis, quæ aliqualiter videntur obſtare, non tamen ex toto, uti objectio vult. Exemplum eſt in homine fragili, voto caſtitatis obſtricto. 2. In ſolatium cedit voventium, quòd vota poſſint diverſimodè, vel per poteſtatem dominativam irritando, [vel per juriſdictionem ſpiritualem

tualem diſpenſando tolli; poteſt enim contingere, ut potens irritare, ex malitia nolit irritare, vel potens diſpenſare, nolit ex ſimili malitia diſpenſare, quo in caſu dabitur refugium. Tandem maximè hic locutio eſt de hiscè cauſis, dum non certò tales ſunt, & impedientes majus bonum, ſed quando dubitatur, ubi peti poteſt diſpenſatio.

Verùm, non tantùm damnum ſpirituale eſt inter cauſas diſpenſandi; ſed etiam damnum notabile temporale in executione voti latens, ſive proprium ſive alienum v.g. familiæ propriæ; & magis, ſi foret damnum publicum. Qualia damna cenſentur, ſi voto Caſtitatis adſtrictus, continuò laboraret morbo; aut ſi illuſtris quædam familia interire deberet, &c. accedunt longæ peregrinationes prodigæ donationes, auſtera jejunia ex voto debita, & vel voventem, vel familiam notabiliter lædentia. Ubi etiam obſervandum, quando cauſa eſt purè temporalis, magis ſemper eſſe admiſcendam commutationem. Tandem dubium prudens, an in emittendo voto adfuerit intentio revera vovendi, vel an votum non impediat majus bonum; vel an ex voti executione malum aliquod vel damnum immineat, vel an votum aliquod temporaneum fuerit impletum, ſimiliaque dubia etiam nonnulla ſunt cauſa diſpenſandi. A cauſis tamen diſpenſandi excluditur. 1. Illa, Quòd

Quòd quis loco executionis voti, velit dare eleemosynam ad pia opera; quia dare eleemosynam non obstat votorum executioni. 2. Excluditur sola voventis commoditas in non exequendo voto reperta. Ubi tamen nota, licet hæ duæ causæ, & fortè nonnullæ aliæ, non possint esse causæ legitimæ ad dispensandum, possunt tamen esse quandoque ad commutandum; ut sic DEO vovens alacriùs serviat; unde ad commutandum non requiruntur tantæ causæ, quàm ad dispensandum, & quò magis commutatio accedit ad æqualitatem, eò minor causa requiritur ad illam. Ulteriùs observari obiter hîc potest, stante causâ, superiorem hâc facultate præditum esse obligatum ad dispensandum, vel commutandum, quia dispensandi potestas illis datur ad bonum subditorum. Atque hâc suppositione cum communi DD. post *S. Thom*, 2. 2. *q*. 88. *a*. 12. *ad* 2. præmissâ, ad quæsitum.

Videtur Respondendum, non manere validam dispensationem, adeóque voventem non manere liberum à talis voti obligatione. *Sic Cast. tr*. 15. *de voti relaxatione, disp*. 2. *p*. 9. *n*. 4. citans pro se *Joan. de Sales*, & *Basilium Legion*. Et ratio est, votum ab initio non obligat, non existente tunc causâ finali, uti existere putabatur; vel votum etiam cessat obligare eo modo, quo in præcedentibus di-

ctum

ctum est, cessante causâ finali; ergo etiam vel dispensatio ab initio nulla est, non subsistente reverâ causâ, vel cessat cessante causâ à parte rei non subsistente: requirit enim dispensatio secundùm dicta ad sui valorem causam. 2. Unanimis est DD. sensus, dispensationem ad sui valorem requirere causam; ergo non solum existimatam, sed reverâ talem. 3. Quia nec ratio, nec necessitas urget, ad dicendum, talem dispensationem adhuc valere; sed contra:

Dicendum cum benigniore, & suavitati in regimine Ecclesiastico conformiore; quòd talis dispensatio, sicut ab initio, ita etiam detectâ nullitate causæ, adhuc valeat. *Sic Sanch. de Matrim. l. 8. disp. 17. n. 8.* Item *lib. 4. in Decal. c. 44. n. 20. & c. 45. n. 10. Less. l. 2. c. 40. disp. 17. n. 119. Lay. l. 1. t. 4. c. 22. n. 12.* circa medium. Ratio est 1. quia pertinet ad benignitatem DEI, cujus nomine fit dispensatio, approbare, quod bonâ fide gestum est; quæ benignitas prudenter præsumitur, ad evitandos infinitos de validitate dispensationis scrupulos, cùm DEus hanc potestatem concedat *hominibus*, qui non possunt omnium causarum veritatem cognoscere in se; ergo videtur illi sufficere, & approbare factum, si homo operetur quantùm de se, & humano modo potest. 2. Hoc ipsum etiam pertinere videtur, ad bonam Ecclesiæ gubernationem.

3. Ex

3. Ex communi ſententia poteſt Prælatus legitimus (de quo in ſupponendo.) cum cauſa dubia de ſufficientia, & cognita ut tali, validè & licitè diſpenſare, licet poſtmodum deprehendatur, cauſam fuiſſe inſufficientem; ergo à fortiori ſic dicendum eſt in noſtro caſu, in quo utrinque bonâ fide exiſtimatur ab initio ſufficiens. 4. In tali caſu diſpenſans utitur poteſtate ſibi conceſsâ abſolutè, ita ut non quaſi pendeat ab eventu futuro cauſæ ſubſiſtentis, vel non ſubſiſtentis. Ex his:

Deducitur 1, in tali caſu diſpenſationem ſtatim ad initium valere.

Deducitur 2. requiri in hoc caſu, ut & petens bonâ fide, & ſyncerè cauſam proponat ſuperiori potenti diſpenſare; & ſuperior illam bonâ fide putet eſſe talem.

Ad argumentum in contrarium dico, diſparitatem eſſe, quod cauſa finalis, cùm pendeat ab intentione voventis ad initium, ab illa etiam votum quoad ſubſtantiam dependet, quemadmodum in ſuperioribus dictum eſt; adeóque non eſſe mirum, quòd votum vel ab initio non obliget, aut illo fine ceſſante ceſſet juxta mentem voventis, ſe ex tali fine ita liberè obligantis: at verò diſpenſationis poteſtas in ſuo eſſe, & conſervari (quamquam fortè quoad exercitium.) non eſt à ſola libera hominis voluntate; unde debet & ſolùm poteſt, illâ ſemel legitimè collatâ, acceptatâ &

retentâ

retentâ uti, eo modo & valore, quo censetur prudenter ipse DEus in hoc negotio principalis, prudentûm judicio approbare, ex suppositione tamen, qnòd superior velit dispensare, adeóque, quia DEUS cum hominibus humano modo agere consuevit, sufficiet causa dispensanti talis, consideratis considerandis, visa, qualis reverà in se non est; licet non sufficiat ad votum conservandum causa finalis non existens, quamquàm videatur subsistens. Ad 2. patet ad valorem voti requiri causam; verùm non semper in re talem sufficientem; sed sufficere esse talem in prudenti existimatione. Ad 3. patet responsio ex argumentis pro stabilienda, & mihi tenenda sententia, datis.

Quærit 10. quia de votis S. Pontifici reservatis mentio facta est, an votum disjunctivum, cujus una pars est reservata S. Pontifici, altera autem non e. g. voveo vel ingredi religionem, vel trinum per septimanam jejunium totâ vitâ, sit reservatum?

℟. 1. cum communi non esse reservatum. Ratio est, quia reservatio odiosa est, consequenter strictæ interpretationis, ita ut non comprehendantur vota, nisi quæ reverà, & simpliciter talia sunt, uti reservatio explicat; at verò tale votum disjunctivum, non est propriè, strictè & simpliciter votum Religionis ingrediendæ; ergo tale votum disjunctivum,

vum, non est reservatum. Mi. ostenditur quia taliter vovens, licet ad utrumque sub disjunctione se obliget; obligat se tamen cum libertate eligendi, quod voluerit; ergo tale votum non est strictè, & simpliciter votum Religionis, adeóque neque reservatum. Confirmatur eadem mi. per *regulam in alternativis de Reg. Juris in 6.* ibi *in alternativis debitoris est electio, & sufficit alterum impleri.*

Major difficultas est, si facto tali voto, voventi deinde (mutatâ fortè materiâ.) altera pars, quæ non est reservata, reddatur impossibilis. Num non saltem tunc votum incipiat esse reservatum, cùm jam tantùm oligetur ad illam materiam reservatam, nec ultra restet libertas eligendi?

Verùm, iterum est communis DD. responsio negativa. Ratio breviter esse potest. 1. Quòd sicut votum tale, non est reservatum ex primæva sua natura; ita neque ex tali mutatione fiat reservatum. Quòd enim alterâ parte non reservatâ, nunc factâ impossibili, obligetur solùm ad hanc materiam reservatam, est tantùm per accidens; & non ex vi primi vinculi, seu ex libera ejus voluntate, volente se tantùm ad hanc materiam reservatam obligare.

Adhuc tamen superest alia difficultas. Nempè an tale votum sit, vel fiat reservatum tunc, quando vovens tali voto obstrictus, se

liberè ad partem reſervatam reſolvit, eamque perfectè elegit? ante reſponſionem.

Notandum, dictum eſſe *perfectè elegit*; nam ſi ſolo propoſito, exequendi reſervatum, determinatio fieret; ſicut facilè voluntatem poſſet mutare; ita adhuc votum tale non eſſet reſervatum, utpotè adhuc non ſimpliciter votum Religionis, ſed ſub libertate hominis conſtitutum. Illa igitur, hac in re, dicitur perfecta electio, quâ, ſe ad materiam reſervatam determinans, vult tantùm ad illam eſſe obligatus, atque adeò non poſſit ampliùs reſilire, ac per alteram partem votum adimplere. Hoc notato.

℟. Poſitâ ſemel perfectâ, & liberâ electione partis reſervatæ, in tali voto disjunctivo, votum illud deinceps manere reſervatum. Ratio eſt, quia in tali caſu, virtualiter eſt quaſi novum votum, ex libera voluntate de materia reſervata factum, unde non eſt, quòd non debeat dici reſervatum.

Nec obeſt primæva talis voti disjunctivi natura, ſub quâ non erat reſervatum, quia virtute eſt quaſi nova obligatio, novumque votum. Quando autem ex ſola mutatione materiæ (v. g. materiâ non reſervatâ, redditâ impoſſibili.) vovens obligatur ad partem reſervatam, nulla nova, ne virtualis quidem accedit obligatio, quare hoc non erit reſervatum, bene autem illud, de quo hæc ultima inſtituta eſt difficultas. Datas rationes tenent

nent *Soarez l. 6. de votis disp. 24. per tot. Sanchez l. 4. in Decal. c. 40. n. 42. 43. 44.* & *lib. 3. de matrimonio disp. 9. n. 14. Filliuc. tract. 26. c. 9. n. 272. Lay. l. 4. tr. 4. c. 8. n. 12. Castropal. tract. 15. disp. 2. p. 11. n. 6. Sayrus* aliique ab his citati, quos sequitur *Bassæus, verbo votum 7. n. 20, Tamb l. 3. in Decl. c. 16. §. 4. num. 30.*

Quærit. 11. An vota conditionata, de materia aliàs reservata; sint reservata, saltem postquam adimpletâ conditione sunt facta absoluta?

Observandum hic, quæ dicta sunt, de voto conditionali & pœnali propriè tali, in superioribus, ubi diximus quandoque videri vota conditionalia, & non sunt; ubi etiam insinuatum est, quandoque conditionem habere rationem finis. Item quasdam conditiones esse intrinsecas, & per se imbibitas; quasdam autem extrinsecas à libera voventis voluntate appositas; quasdam necessarias de futuro, quasdam contingenres. De his ultimis ergo propriè conditionatis votis, quæsitum procedit; quare ad quæsitum

℟. 1. Similia vota, ante adimpletam conditionem, non esse sumō Pontifici reservata. Est communis apud DD. paulò post citandos, contra nonnullos antiquiores, & quosdam modernos apud *Soarez lib. 6. de voto. cap. 22. n. 2.* Ratio est, quia dum consensus, adeòque & obligatio, pendet à conditionis eventu, non

eſt perfectus, nec perfecta obligatio, adeóque neque votum ſimpliciter tale, quale exigit reſervatio, ſtrictè interptetanda, & odioſa. Et hinc neque erit reſervatum, quia illo tempore nondum eſt obligatio ad votum, ſeu rem ipſam promiſſam reſervatam; ſed obligat tunc ſolùm, ad expectandum eventum, quæ expectatio non eſt reſervata. Ex quo ſequitur poſſe Epiſcopum, aliosque ſupra adductos, & hâc poteſtate præditos in talibus votis diſpenſare. Sed aliud & difficiliùs eſt, quod

Quæritur 12, An tale votum factâ, & jam adimpletâ conditione, debeat cenſeri deinde reſervatum, ut proinde in illo non poſſit Epiſcopus diſpenſare? Ante reſponſionem

Obſervandum, vota conditionalia pœnalia (ſaltem dum pœna eſt vindicativa, non medicinalis) in communiſſima ſententia non eſſe reſervata, etiam poſt commiſſam culpam aut conditionem poſitam. Nunc manendo in votis purè conditionalibus.

Videtur reſpondendum, quòd neque tunc incipiat eſſe reſervatum, adeóque Epiſcopum poſſe, in voto e. g. caſtitatis conditionato, diſpenſare, etiam adimpletâ conditione. Ratio eſt 1. à pari de voto conditionato, & pœnali, de quo in obſervando; nam non minùs in voto merè conditionato, conſenſus ab initio, & in radice eſt imperfectus, quàm in pœnali; & perſæpe etiam in voto conditionato, adeſt diſplicentia voventis dum vovet

erga rem voto promissam; atque etiam non rarò adest positivus animus, & propositum vitandi obligationem, ut patet in eo, qui vovet Religionem, si divitias amiserit, &c. Ad quas tamen non admittendas, & consequenter, ad non incurrendam obligationem ingrediendi religionem, omni nisu laborat. Si ergo hæc efficiunt, ut votum conditionale pœnale, non sit reservatum, etiam post culpam; sed possit ab Episcopo dispensari. Etiam id efficient in votis, merè conditionatis. 2. Quia similia vota, habent ab initio solùm imperfectum censensum; hic autem, adveniente conditione, non mutatur quoad primævam suam naturam, licet fiat absolutus; ergo sicut ante propter suam imperfectionem, ita & post tale votum non erit reservatum. Antecedens patet, quia nullus alius consensus supponitur accedere, aliàs fieret novum votum, seu votum de novo. Hanc tanquam probabiliorem tenet *Sanchez l.* 4 *in Decalog.* *c.* 40. *n.* 99. Item *lib.* 8. *de matrimonio disp.* 10. *n.* 13. Qui utroque loco citat alios, & ait, se scire viros doctissimos sui temporis, qui illam tenuerunt. *Sanch.* sequitur *Castro. tr.* 15. *disp.* 2. *p.* 12. *n.* 15. *Tamb. l.* 3. *c.* 16. §. 4. *n.* 32. Verùm

Dicendum est, similia vota post adimpletam conditionem esse reservata, sicut etiam post illam sunt absoluta. Hujus sententiæ est *Soarez l.* 6. *de voto. c.* 22. *à n.* 11. docens esse communem, à qua, in re tam necessaria, non

facilè recedendum. *Filliuc. tract. 26. de voto c. 9. n. 269. Less. l. 2. c. 40. dub. 18. num. 131. Lay. l. 4. tract. 4. cap. 8. n. 10.* qui dicit hanc esse Ecclesiæ praxim. Eandemque etiam authores contrariæ sententiæ volunt satis probabilem. Ratio autem sententiæ mihi videtur 1. quia illud, quod quoad suam perfectionem, ex libera præsertim intentione, pendet ab alterius positione, illo posito est perfectum; sed sic se habet consensus, in simili voto conditionato, pendens quoad sui perfectionem, à conditione futura contingente liberè appositâ; ergo positâ illâ conditione, consensus erit perfectus; adeóque absolutus, utpotè à nullo ampliùs pendens, nec unquam revocatus, quemadmodum nec potuit. Subsumo; sed votum absolutum de materia reservata, est ab initio reservatum; ergo & votum conditionatum de materia reservata, factum absolutum etiam incipiet esse reservatum; neque enim ampliùs imperfectio consensûs obesse poterit. Ma. clarè patet, ab infinitis instantijs, tam ab artibus liberalibus, quàm mechanicis adducendis. Mi. non minùs liquet, quia si tale votum conditionatum, quoad alios effectus, atque ipsam etiam obligationem fit absolutum, uti patet in contractibus inter homines *l. potior. 11. in fine principij ff. qui in pignore potiores habentur*, ibi. *cùm enim semel conditio extiterit, proinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine con-*

conditione facta esset: cur non etiam quoad ipsum consensum, & consequenter ipsum effectum reservationis; cùm allatus textus universaliter intelligatur. 2. Obligatio in voto, est effectus intrinsecus ipsius consensûs & voti; ergo non potest, adimpletâ conditione, obligatio esse perfecta & absoluta; quin ipsum votum, & consensus sit perfectus, & absolutus. 3. Quia dispensatio non cadit in obligationem, seu votum ut præteritum; sed ut est quid præsens; verùm adimpletâ conditione, ubi deberet fieri dispensatio, obligatio & votum est absolutum, acsi à principio fuisset tale, per *leg. cit.* ergo reservatum, consequenter non dispensabile ab Episcopo, &c. 4. Ratio, quæ est confirmatio præcedentis, est, quòd in voto conditionato purè tali, nulla alia reperiatur imperfectio, ob quam non esset reservatum, præter consensûs suspensionem, quæ suspensio tollitur conditione positâ. Et quia consensus in tali voto, ab initio respicit duo tempora. unum non impletæ conditionis; alterum conditionis adimpletæ, Idem etiam consensus non impletâ conditione erit imperfectus & conditionatus, positâ autem conditione erit perfectus & absolutus; consequenter votum absolutum; cùm ergo obligatio absoluta non respiciat tempus præteritum, seu consensum pro tempore non impletæ conditionis; sed tempus præsens, & consensum pro tempore adimpletæ condi-

tionis, etiam respiciet consensum ut absolutum, adeóque erit absoluta, votumque absolutum & reservatum, nec dispensabile ab Episcopo, &c. Quia dispensatio etiam tantùm cadit in obligationem præsentem; Unde nihil oberit, hoc votum ab initio fuisse imperfecti consensûs, & obligationis; quia tota illa imperfectio sublata supponitur, & consensus jam tunc, ex parte sua, pro tempore adimpletæ conditionis absolutus; ideóq; solùm conditionat⁹ & imperfectus, quia ob conditionem non impletã, erat in suspenso. Hinc ad argumenta pro prima sententia adducta.

℞. Ad I. disparitatem & differentiam inter hæc duo vota, pœnale scilicet, & purè conditionale, posse assignari hanc; quòd in voto conditionali pœnali, per se, & ex natura talis voti, includatur affectus, & animus cavendi obligationem absolutam, rei reservatæ in pœnam promissæ; quia pœna in futurum incurrenda statuitur ex se ad evitandam culpam; consequenter etiam ad evitandam pœnam, cùm talis pœna pendeat necessariò à culpa. Quod in votis purè conditionatis non contingit, nisi fortè quandoque per accidens, ex superveniente tantùm voventis intentione, dum v: g. illum voti pœnitet, aut quia timet amittere divitias, quibus amissis non possit suo statui conformiter vivere: hic autem affectus non esset vi ipsius voti, & promissionis, sicut in pœnali, promittitur quasi Deo fuga obliga-

tionis incurrendæ, e.g. ad Religionem ingrediendam; adeóque vi hujus affectûs, minuitur affectus ad rem reservatam promissam, neque est absolutè, & perfectè consensus, cum affectu in rem voto promissam; ac proinde votum pœnale, etiam post commissam culpam, non erit reservatum, secùs autem votum purè conditionale. Ad 2. sufficienter patet ex rationibus pro 2. sententia allatis, quid respondendum sit. Negatur enim, quòd talis consensus non mutetur, cùm enim respiciat duo tempora, pro tempore non impletæ conditionis erit imperfectus, pro tempore adimpletæ conditionis erit perfectus. Unde talis consensus de se est ab initio perfectus, & solùm imperfectus pro priori tempore non impletæ conditionis. Ex quo posset concedi etiam talem consensum non mutari saltem intrinsecè & entitativè, sed solùm illam perfectionem consensûs non posse exire in actum secundum; defectu alicujus extrinseci, nempè conditionis nondum positæ.

Quærit 13. An materia, pro voto reservato, ab habente potestatem, in dispensatione vel commutatione subrogata, sit etiam reservata; licet aliàs de se non sit reservata?

Videtur respondendum affirmativè. I. ex regula illa communi, *subrogatum sapit naturam ejus, cujus loco subrogatur:* sed votum prius erat reservatum; ergo & id, quod ejus loco subrogatur, 2. in tali casu, præsertim dum tan-

tùm fit commutatio, non elicitur votum novum; sed solummodò vinculum præcedentis voti, per habentem potestatem, transfertur in aliam materiam; ergo licet materia de se non sit reservata; quià tamen non tollitur, sed manet idem vinculum, manebit saltem per accidens, scilicet ratione vinculi, illa materia subrogata reservata. 3. votum reservatum, sic authoritate Pontificiâ, consentiente vovente, translatum est in aliam materiam; ergo est onus jussu Pontificis susceptum; sed in Pontificiis, seu alterius Superioris lege, pœna, aut sententia inferior non potest ordinariè dispensare, illam immutare &c. ergo. Et hanc sententiam nonnulli ex antiquioribus tenebant, uti videre est apud *Saa & Sanchez* infra citandos. Attamen

Dicendum est, materiam pro voto reservato, legitimè subrogatam, non esse ampliùs reservatam. Sic communiter DD. moderni *Saa. verbo votum n. ultimo, Soarez l.* 6. *de voto c.* 20. *n.* 15. *Sanchez l.* 4. *in decal. c.* 40. *n.* 46. *Less. l.* 2. *c.* 40. *n.* 124. *circa finem, Lay. l.* 4. *tract.* 4. *c.* 8. *n.* 13. *Castro: tract.* 15. *disp.* 2. *p.* 11. *n.* 5. *Tamburinus l.* 3. *c.* 16. §. 4. *n.* 33. Ratio breviter est, quia per dispensationem Pontificis, vel etiam commutationem, votum præcedens omninò cessavit obligare, ita quidem (sicuti paulò post dicemus) ut materiâ subrogatâ factâ impossibili, vovens non teneatur redire, & adimplere prius votum;

ergo

ergò cùm materia ſubrogata de ſe non eſt reſervata, & præcedens votum omninò expiravit; non eſt ſolidum fundamentum dicendi, materiam ſubrogatam eſſe reſervatam; non enim ratione vinculi præcedentis, quia vel eſt vinculum diverſum in materia ſubrogata, vel ſi non eſt diverſum entitativè, eſt ſaltem ſecundùm obliquum diverſum; neque eſt reſervatum quatenus eſt vinculum hujus materiæ, ſeu connotans hanc ſubrogatam materiam; quamquàm ſit reſervatum, quatenus connotat in obliquo materiam reſervatam: ergo, quod ipſum fieri poſſe oſtendo, quia cùm omnia ſimplicia vota, à ſummo Pontifice ſint diſpenſabilia, vel commutabilia, omnium votorum obligationes, & vincula implicitè involvunt hoc, ut auctoritate PP. poſſint transferri per commutationem ſuper aliam materiam, hoc enim eſt propriè commutare. 2. vinculum ſeu promiſſio ex natura ſua indifferens eſt, ut ſit reſervatum, vel non, & quòd ſit reſervatum, habetur potiùs ratione materiæ reſervatæ; ergo mutatis mutandis, poterit idem vinculum de ſe perſeverans, nunc eſſe reſervatum, nunc non reſervatum; ſicut eadem materia reſervata non eſſet ampliùs reſervata, ſi PP. reſervationem illius tolleret. Ad rationes in contrarium adductas.

℟. I. ad 1. illam regulam vel intelligendam in favorabilibus, non in odioſis; vel veram eſſe quoad ea, quæ ſunt de intrinſeco ejus,

cujus loco aliud ſubrogatur, uti eſt in voto obligatio, quæ etiam in materiam ſubrogatam tranſit; non autem eſſe veram quoad extrinſeca & accidentaria, uti eſt ipſa reſervatio. Sed tandem ajo, regulam omninò veram eſſe, quia dicit ſubrogatum ſapere naturam ejus &c. Sed non eſt de natura voti præcedentis, ut ſit reſervatum, aliàs ante omnem PP. reſervationem tale fuiſſet; ergo neque ſapit reſervationem illa materia ſubrogata. Ad 2. dico 1. quòd poſſet dici; virtute eſſe aliud diſtinctum votum & vinculum. 2. reſponderi poteſt ex ratione pro ſecunda ſententia adducta. 3. reſponderi poteſt, reſervationem totam illius voti, eſſe ex tali materia reſervata, adeóque materia ſubrogata, ne quidem per accidens reſervata, ad 3. ℞. In primis talem commutationem non eſſe pœnam, ſed potiùs Favorem. Deinde qui factâ tali commutatione, in voto reſervato à S. PP., iterum commutaret, non diſpenſaret, vel non commutaret aliquid in lege ſuperioris, ſeu Pontificis; quia quòd votum habeat ſe inſtar legis, provenit ab obligatione, obligatio autem hæc à libera hominis voluntate promittente, vel talem commutationem acceptante; & Pontificis authoritas tantùm mutat materias, nec intendit de novo reſervare, parùm enim favoris ſic præſtaret.

Quærit. 14. an Jejunium ſubrogatum pro voto reſervato, e. g. Caſtitate perpetua, vel religionis ingrediendæ, obliget Sexagenarios, aliàs robuſtos & ſanos? Quæ-

Quæsitum procedit ex suppositione, quòd 1. etiam votum jejunii sit explicandum juxta præceptum Ecclesiasticum Jejunii. 2. quòd præceptum Ecclesiæ de Jejunio non obliget sexagenarios, idque ratione solius ætatis, quod tamen plures negant, nisi simul alia debilitatis ratio accedat &c. de quo alibi. His suppositis:

Videtur quòd obliget sexagenarios tale Jejunium subrogatum. Ratio est. 1. quia uti habet regula juris supra adducta, subrogatum sapit naturam ejus, cujus loco subrogatur; sed votum Castitatis, vel Religionis erat perpetuum; ergo & jejunium, loco horum votorum subrogatum, debet esse perpetuum. 2. ratio poni potest à paritate ex *Lay. l. 4. t. 8. c. 2. n. 2. ad finem* ubi dicit (etiam supposità sententiâ, quam tamen negat, sexagenarios vi solius ætatis, præcisâ omni aliâ infirmitate, debilitate, aut quâlibet causâ, excusatos esse à jejunio Ecclesiastico) videri improbabile, quòd qui vovit jejunium alicujus diei toto vitæ suæ tempore, completo anno sexagesimo liber sit à tali obligatione. Ex quo inferri posset; ergo neque à jejunio tali subrogato, de quo quæritur, quia 1. tale jejunium subrogatum, vel cadit sub obligationem & vinculum prioris voti, vel virtute saltem est novum votum. 2. nihil videtur obesse, quòd in hoc voto, perpetuitas non sit explicita & expressa; quia sufficiit, quòd sit implicita, quemadmodum votum jejunandi singulis sextis feriis, intelligitur perpetu-

petuum, & non tantùm quoad certum tempus. 3. talis videtur mens diſpenſantis vel commutantis; cùm incongruum videatur, gaudere voti diſpenſatione, non ſervando ad quod perpetuò obligabatur; & interim negligere opus pro eo impoſitum; tandem talis jejunii injunctio, videtur aliqualiter conditionata, quãdiu ſcilicet non vis, vel ex tua voluntate non potes ſervare votum perpetuæ caſtitatis, aut religionis promiſſum; ergo ſi nolis, aut non poſſis perpetuò, vel ſaltem anno ſexageſimo votum ſervare, obligaberis ad jejunium ſubrogatum; ergo adhuc anno ſexageſimo teneberis jejunare. Sed contra mihi

Dicendum videtur, tale jejunium ſubrogatum (ſuppoſitis iis, quæ ad initium quæſiti ſuppoſui) non obligare ſexagenarios. Ratio eſt. 1. Votum obligat juxta menſuram, & modum præcepti Eccleſiaſtici; ſed præceptum Eccleſiaſticum jejunii, hic & nunc ſupponitur non obligare ſexagenarios; ergo neque tale jejunium ſubrogatum. 2. Pontifex agens in tali caſu, ut legislator particularis, non præſumitur plus velle obligare, quàm legislator univerſalis jejunii Eccleſiaſtici; ergo. 3. non eſt inducenda certa obligatio, niſi certò illa conſtet, & in quantùm illa conſtat; circa hoc tamen adhuc nihil certi conſtat; ergo. 4. certum videtur, aliâ causâ excuſante à jejunio, advenìente, v.g. infirmitate, talem excuſandum à ſimili jejunio ſubrogato: ergo etiam adimpleto anno ſexa-

sexagesimo, cùm in hac suppositione talis ætas sit inter causas sufficientes excusantes à jejunio. Ad argumenta in contrarium adducta.

℞. ad 1. (ut alias explicationes omittã) jam supra dictum esse, illam regulam habere locum in favorabilibus, non tamen in odiosis. ℞. ad 2. supponendo interim contrarium, neque esse improbabile illud antece., sed satis probabile, quod docet *Sanchez l. 4. c. 11. n. 54.* quæ sententia confirmari posset per rationem quartam pro mea opinione allatam; ac per eandem retorqueri, adhibendo etiam idem argumentum in 1. sententia positum. Deinde admisso etiam antecedente, negando consequentiam fortè disparitas dari posset, quòd vovens jejunium perpetuum, sibi imponat solus, & liberrima sponte tale onus: at verò dum Pontifex hocce jejunium subrogat, ipse quasi legem hanc privatam principaliter fert, ipso vovente passivè potiùs se habente, qui fortè sæpiùs minus onus subrogatum optaret; Unde hoc non ita à voluntate ipsius procedit, sicut si suâmet sponte simile jejunium voveret. Et hinc, licet possit præsumi, quòd vovens simpliciter jejunium aliquod in perpetuum, etiam voluerit se Sexagenarium comprehendi, non tamen debet præsumi, dum hoc jejunium solùm subrogatur à PP. quia hic per hoc præsumitur, potiùs velle favere, quàm gravare; aliunde Pontifex in tali casu, non censetur velle omni majori modo voventem gravare, nec alium legislato-

latorem privatum, quàm publicum agere. Adeóque etiam negatur tale jejunium etiam implicitè sapere perpetuitatem. Ad 3. ℞. negando simpliciter totum, ejusque rationis suppositum, quòd sic negligeretur opus impositum. Ad ultimum dico, transeat æquipollere simili conditionatæ injunctioni ipsius jejunij; ast nego æquivalere conditionatæ perpetuæ; sed solummodò juxta morem præcepti Ecclesiastici, scilicet usque ad annum Sexagesimum inclusivè.

Quærit. 15. circa commutationem Votorum. An commutatio voti (utique non reservati S. PP. quod nequidem in melius ab inferiore commutari potest, nisi ejus commutatio fiat in votum solenne Professionis religiosæ, in quod omnia vota commutari possunt.) in manifestè æquale, possit fieri à quocunque propriâ authoritate? Ante Respons:

Nota 1. certum esse, ad commutationem in notabiliter minus, requiri jurisdictionem ab Ecclesia; item causam justam, ut valeat; quia in tali casu intercurrit partialis dispensatio.

Nota 2. certum item esse, commutationem voti in id, quod spectatis circumstantijs, est evidenter melius, posse fieri à quocunque propriâ authoritate, exceptis, uti supra, votis reservatis S. PP. Neque alia causa ad volorem talis commutationis requiritur, quàm hæc ipsa, quòd tale opus sit melius, & consequenter DEO gratius. DEO enim propter perfe-

ctissi-

ctissimam voluntatem ; non potest opus melius, non magis placere, & gratius esse; licet apud homines possit quandoque contingere. Imò etiam promissioni humanæ satisfit reddendo aliud sed melius quàm promissum sit, si sic consentiat is, cui facta est promissio. His positis.

Videtur affirmativè Respondendum ad quæsitum. Ratio esse potest. 1. quia si materia alia omnino æqualis DEO à principio fuisset promissa, votum DEO æquè gratum fuisset ac cùm hæc determinata materia promissa fuit: ergo etiam illi pariter grata erit materia evidenter æqualis, in quam votum commutatur ; consequenter poterit quisque propriâ authoritate suum votum in illam commutare; Sicut potest satisfacere suæ promissioni homini præstitæ, per rem æqualem rei promissæ, si is contentus eique illa æquè grata sit aliunde nulla sic intercurreret dispensatio. 2. Quamquam res promissa ratione ipsius promissionis & vinculi, adeòque jam ut existens sub obligatione, & virtute Religionis videatur majoris bonitatis, quàm res secundùm se, & ex objecto solùm considerata, rei promissæ æqualis, id tamen nil obest; quia totum illud vinculum vel obligatio transfertur in materiam æqualem subrogatam; adeòque hæc materia etiam ratione vinculi erit æqualis. Quæ ratio posset esse totum fundamentum hujus sententiæ, quam post plures

alios apud *Castrop. infra citan.* reperiendos, vocat probabiliorem *Tamb. l. 3. c. 16. §. 5. n.* 14. ex qua

Sequitur 1. à fortiori, quod admittit *Less. infra cit.* confessarium ordinarium posse commutare votum in manifestè æquale. 2. Non requiri ad hoc jurisdictionem Ecclesiasticam, verùm

Dicendum est cum communiori, & in praxi receptâ, non posse quemvis propriâ authoritate, commutare suum votum in æquale, quamquam consideratis circumstantijs manifestè tale. Videtur esse *S. Thom.* 2.2. *q.* 88. *a.* 12. *in conclusione & sequentibus. Suarez l. 6. de voto. cap.* 19. *à. n.* 3. *Sanchez l.* 4. *in Decal. c.* 40. *n.* 12. *Less. l.* 2. *c.* 40. *d.* 16. *n.* 105. vocat tutiorem. *Filliucius tr.* 26. *c.* 10. *n.* 283. *Lay. l.* 4. *t.* 4. *c.* 8. *n.* 19. *in dico secundò. Castro. t.* 15. *disp.* 2. *p.* 15. *n.* 4. Et ratio est 1. *ex S.D. cit.* ubi dicit, quia votum debet esse de re Deo grata, ideo ex ejus pendet arbitrio, quid sibi sit gratum; cùm ergo in Ecclesia Prælatus vicem DEI gerat, illius erit in Dispensatione aut commutatione determinare, quid DEO gratum sit. 2. Probatur ex *c.* 1. & 2. & *cap. quis super his*, de voto & voti redemptione, ubi dicitur, ut & prælati habentes potestatem commutandi, commutent in id quod DEO magis acceptum sit; ergo multò minùs licebit privato cuique, suum votum in æquale commutare. 3. Quia ratio ipsius perseverantiæ,

tiæ, constantiæ ac fidelitatis non parùm conducit, ad cohonestandam materiam ipsam promissam; ergo non debet his neglectis materia promissa, statim sine superioris authoritate, commutari in aliam materiam de se ex objecto quidem alteri æqualem, non tamen supplentem alteram promissam ut jam qualificatam, & prædictis circumstantiis magis cohonestatam. 4. Ex hoc sequeretur, quòd nemo esset obligatus ad rem determinatam voto promissam, cùm liberè possit, subrogare aliam æqualem. 5. In dubio melior est conditio possidentis; sed hic est dubium, an liceat commutare in æquale propriâ authoritate, propter authorum, & rationum diversitatem; ergo melior est conditio possidentis. Subsumo, sed res voto promissa est in possessione; ergo. Tandem in praxi vix poterit quisque privatus homo cognoscere, aut circumstantias requisitas satis circumspicere, ad determinandam æqualitatem materiarum in hoc negotio; cùm tot in ordine ad hanc determinationem facientia attendenda sint. Hinc ad argumenta in contrarium

Respondeo ad 1. concedo antecedens, nego consequentiam; quia ut ostendi, materia illa & votum semel emissum, jam est melioribus circumstantiis, utpotè sub pluribus virtutibus quàm ante existens, qualificatum; adeòque DEO gratius. Atque licet verùm sit, satisfieri tali modo homini, si constet eum

esse contentum, dum redditur æquale rei promissæ; nihilominus quia hoc de DEO ob rationes allatas præsumere non possumus, neque satis constat, illum tali commutatione contentum esse, non urget instantia. Ad 2. dico, hanc ipsam vinculi, & obligationis translationem de materia promissa in aliam, esse contra constantiam & perseverantiam, non parùm præcedentem materiam promissam cohonestantem; atque inde sequeretur, quòd dixi, quòd nemo teneretur ad rem determinatam promissam; quod, quàm praxi in hac materia contrarium sit, nemo non videt. Ex his nonnulli ex citatis authoribus.

Inferunt 1. In hac 2. sententia requiri Ecclesiasticam jurisdictionem, adeóque prælati authoritatem ordinariam, vel certè delegatam ad commutationem in æquale.

Inferunt. 2. ut talis commutatio, etiam prælati authoritate licitè fiat, requiri causam, quamquàm non obstantem ipsi executioni votorum. Unde sufficit causa levis, quòd videatur e. g. expedire ad cultum DEI promovendum, eò quòd fortè hilariori, & promptiori animo materiam subrogatam vovens exequetur; quod vel ex eo sperari potest, quia vovens ferventer id petit.

Inferunt. 3. Talem commutationem in æquale propriâ authoritate factam, esse nullam & invalidam. Imò etsi prælatus illam faceret, adhuc nulla esset, quando nulla (quæ tamen

men raro deesse potest.) causa subesset; aut saltem bonâ fide subesse non crederet Prælatus; adeóque in hac sententia, & vovens ipse ita commutando, & Prælatus absque causa, dicto modo commutando, si vellent præcedens votum cassari mortaliter peccarent, nisi vel bona fides, vel ignorantia excusaret. *Sic Suarez & Castrop. contra Sanchez.*

Inferunt. 4. habentes potestatem dispensandi, habere etiam potestatem commutandi; nonècontra.

Inferunt. 5. Confessarium ex se & ordinariâ potestate, non posse commutare in æquale.

Inferunt. 6. eum, qui vovit Religionem certam, non posse propriâ authoritate aliam diversam æqualis observantiæ ingredi, quamquàm admittant voventem certum quoddam cujusdam Ordinis monasterium; item certam quandam rem unico usu consumptibilem; v.g. determinatum in individuo oleum, vinum, lac, &c. posse propriâ authoritate, ingredi aliud monasterium ejusdem ordinis, æquè strictæ observantiæ, dare aliud oleum, vinum, &c. æqualis bonitatis: quia hæc mutatio non est moralis, sed physica & quasi materialis, cùm omnia ex se eidem usui subserviant; semper tamen præ oculis habendum, nisi alia peculiaris ratio obstet, v.g. quoad Monasterium diversitas observantiæ minoris in hoc, quàm in præmisso Monasterio. Aut quia alia ratio induxit voventem

ad ingressum hujus Monasterij vovendum; v. g. quia in tali ipse propter peculiares rationes se DEO magis servire præviderat. Similiter asserunt de rebus unico usu non consumptibilibus, non posse voventem propriâ authoritate illam commutare; hinc, qui vovit hunc filium dare Religioni alicui determinatæ, non satisfacit dando alterum, nisi hic magis prodesset Religioni; item qui vovit Ecclesiæ dare pecuniam, non satisfacit voto propriâ authoritate dando calicem ejusdem valoris, &c. hæc enim ex se non eidem omninò in individuo usui subserviunt.

Inferunt. 7. ne quidem in evidenter melius posse quempiam propriâ authoritate commutare suum votum, si id cedat in præjudicium tertij; puta, si per promissionem & acceptationem alicui Ecclesiæ v. g. jam jus acquisitum sit, non potest talis res voto promissa, alteri etiam pauperiori dari.

Inf. 8. sive observant potius, nonnulli ex præfatis Doctoribus, quòd cùm admodùm difficile sit discernere, & cognoscere æqualitatem, ut superior si possit tantùm, vel velit tantùm commutare, sine admixtione ullius dispensationis, semper aliquantò plus, sive majus, omnibus perpensis subroget. Quæ tamen omnia à prudentibus non secundùm mathematicam æqualitatem scrupulosè, sed secundùm moralem, humanamque æqualitatem perfici solent.

Quæ-

Quærit. 16. An factâ semel absolutâ, & legitimâ voti commutatione; atque redditâ deinde materiâ subrogatâ, seu substitutâ (id est in qua votum commutatum est) impossibili, vel inutili, teneatur vovens adimplere votum in pristina materia?

Prænotandum, quæsitum procedere sive impossibilitas hæc, vel inutilitas proveniat sine culpa, vel cum culpa ipsius voventis.

Videtur quod sic, quia 1. ex dictis constat, in commutatione primum vinculum non omninò tolli; sed tantùm de una in aliam materiam transferri; ergo manens idem vinculum, poterit ad 1. materiam in hoc casu obligare. 2. Uti paulò post dicetur, potest vovens, cui absolutè, & legitimè votum est commutatum, pro libitu redire ad votum, & materiam pristinam; ergo à fortiori tenebitur, si subrogatam implere nequeat. 3. Talis commutatio videtur concedi sub conditione, si materiam subrogatam velit aut possit præstare, secùs adimpleat 1. votum; ergo. Aut certè commutatio sapit disjunctionem adimplendi materiam subrogatam, vel primam voto promissam, quod ipsum patet ex ratione 2. sed contra

Dicendum est, non teneri voventem in tali casu adimplere prius votum, sive inutilitas vel impossibilitas, adimplendi prius votum, proveniat ex culpa voventis sive non. Sic *Soarez l. 6. de voto cap. 20. n. 9. Sanchez l. 4. c. 55.*

c. 55. *n.* 15. *Filliucius tract.* 26. *c.* 10. *n.* 291. *Lay. l.* 4 *tract.* 4. *c.* 8 *n.* 28. *Castrop. tract.* 15. *disp.* 1. *p.* 18. *n.* 2. Quos sequitur *Tamb. l.* 3. *c.* 16. *§.* 7 *n.* 1. Ratio est 1. quia commutatio supponitur fieri in favorem voventis; non autem esset favor voventi, si factâ commutatione, & redditâ materiâ subrogatâ impossibili, teneretur adimplere prius votum; ergo. Mi. ostenditur, nam sic gravaretur duplici onere, saltem sub disjunctione; nempè materiâ subrogatâ, & hâc factâ impossibili materiâ primo voto promissâ, cùm tamen prius solùm ad hanc, & ne quidem sub conditione aut disjunctione ad aliam obligabatur. 2. Factâ commutatione legitimâ, obligatio saltem quoad præcedentem materiam, & secundùm id quod dicit in obliquo, adæquatè extinguitur; sed obligatio semel extincta non revivíscit; seu non obligat; ergo factâ commutatione obligatio præcedens non ampliùs obligat. Ma. quæ potiùs supponenda foret, probatur. Quia obligatio voti, sicut & quævis humana, in suo conservari pendet à DEI, seu creditoris voluntate, cedente vel non cedente talem obligationem, & forte etiam æqualiter à voluntate voventis, seu debitoris volente vel nolente ampliùs obligari; ergo positâ cessione, aut renuntiatione juris ex parte Dei, quoad obligationem illam, in ordine ad præcedentem materiam, & (si tamen requiratur) semel voventis voluntate nolente ampliùs illâ

quoad

quoad talem materiam obligari; talis obligatio quoad talem materiam ex toto cessabit. Subsumo: sed Prælati habentes in Ecclesia potestatem commutandi, tanquam DEI vicarij ejus loco remittunt illam obligationem, in ordine ad hanc materiam, juxta voluntatem voventis; ergo illa obligatio saltem quoad præcedentem materiam non ultrò manet. Antecedens primum probatur, quia etiam quoad 1. suum esse, talis obligatio à voluntate DEI acceptantis, & voluntate hominis voventis pendet. Item eadem major secundæ rationis confirmari potest. 1. ex *S. Thoma* 4. *dist.* 38. *q.* 1. *a.* 4. *quæst.* 3. dicente, quando votum commutatur, voventē absolvi ab uno, & ligari ad aliud. *M. Soto & Sylvest*, dicente, commutationem esse annullationem voti, cum ligamine ad aliquid faciendum; quæ omnia significant obligationem quoad primam materiam adæquatè extingui; accedit communis DD. in hoc opinio. Mi. supra positi argumenti in secunda ratione, etiam probatur, quia id, quod non ampliùs est in ordine ad aliquid, ad id ipsum non potest ampliùs obligare. 2. Sicut votum tanquam voluntaria obligatio, in suo esse, & conservari pendet à prædicta Creditoris DEI, & debitoris hominis voventis voluntate: ita semel extincta non reviviscet, nisi ex nova promittendi, vel vovendi voluntate.

3.eadem mi. probatur ex *l. qui res.* §. *an eam, ff. de solutionibus*, ibi: *in perpetuum enim sublata obligatio, restitui non potest.* Ex quibus omnib9 breviter hic discursus formari potest: Factâ commutatione obligatio præcedens nō est amplius, nec obligat ad præcedentem materiam; ergo factâ materiâ, per commutationem, subrogatâ impossibili, non est ampliùs obligatio adimplendi materiam voto promissam.

Nec obest, quòd fortè materia subrogata, ex culpa voventis, sit facta inutilis vel impossibilis (dummodò in ipsa commutatione non habuerit voluntatem, non acceptandi commutationem, tunc enim commutatio nulla fuisset; quia commutatio est virtute quasi novum votum, quod sine voluntate voventis fieri nequit; quamquàm nihil obesset, si habuisset in ipsa commutatione animum, nunquam rem subrogatam perficiendi; uti patet ex dictis casu 1.) quia quemadmodùm etiam ex dictis in casu 5. quæsito 9. patet, culpa quæ in non adimplendo voto, vel in reddendo illud impossibile committitur, obligat tantùm ad pœnitentiam, non verò ad quandam compensationem, cùm obligatio voti sit ex virtute Religionis, non autem justitiæ rigorosæ, & commutativæ. 2. obligatio semel adæquatè extincta, sicut aliâs non, ita neque ob culpam reviviscit. Et deinde hìc quæritur solùm, ad quòd vi voti, &

ti, & commutationis obligetur in tali casu vovens, non ad quod vi culpæ. Ad argumenta 1. opinionis allata:

℞. ad 1. manens idem vinculum posse tantùm ad illam materiam ligare, respectu cujus est vinculum; cùm ergo illud vinculum in ordine ad 1. materiam omninò sublatum sit, ad illam non poterit ampliùs ligare. Ad 2. ℞. 1. instantiam nihil convincere, saltem universaliter sic sumptam, quia ex suppositione sententiæ nonnullorum probabili, si commutatio facta sit in majus bonum, non licet voventi redire ad prius votum; ergo saltem in tali commutatione instantia non urget, quia negari deberet antecedens. Deinde mala est consequentia, licet mihi ex benigna de Deo interpretatione hoc facere v.g. redire ad pristinum votum; ergo obligor in dato casu, sicuti malæ sunt inconsequentiæ; licet cuivis vovere; ergo obligatur. 2. quivis potest votum suum in manifestè melius commutare; ergo tenetur. 3. quando commutatio facta est in minus, juxta communem potest vovens redire ad 1. votum, quia iterum rediret ad melius; ergo tenetur. Quæ omnes consequentiæ cùm nullæ sint, etiam illa his similis nulla est; quia nempè, esse id licitum, est ex favore & benigna solùm interpretatione, quæ non debet obligationem inducere, aliás non esset favor, nam obligari est rigor & gravamen. Nec quidquam facit cul-

pa,

pa, ex qua materia ſubrogata eſt facta inutilis vel impoſſibilis, uti id ſæpiùs dictum eſt. Ad 3. negatur talem commutationem eſſe conditionatam, niſi expreſsè apponatur, quod patet ex ratione, quâ probavimus obligationem ad 1. materiam abſolutè tolli; ex qua eodem modo negatur, commutationem talem ex natura ſua ſapere alternationem, ſeu disjunctionem adimplendi, vel materiam ſubrogatam, vel rem ex voto promiſſam.

Hanc ſententiam traditam limitat *Ludovicus à Cruce in expoſitione Bullæ Cruciatæ*, quem citat, & ſequitur *Tamb. ſupra.* Ut nempè non valeat allata mea opinio, dum vovens propriâ authoritate ſibi votum commutavit in majus, vel juxta ſententiam aliorum etiam in æquale. Et ratio diſparitatis videtur, quòd in commutatione propriâ authoritate factâ, vinculum ſeu obligatio jam non transferatur in materiam aliam ſubrogatam; ſed in primævo ſuo robore perſeveret, cùm non fiat loco vel nomine Dei per poteſtatem ejus hominibus traditam, ſed tantummodo per præſumptionem quandam de benigniſſimo Deo; unde in commutatione propriâ authoritate facta, obligabitur vovens factâ materiâ ſubrogatâ impoſſibili &c. ad priſtinam materiam, utpotè cujus vinculum adhuc perſeverat etiam quoad illam materiam; non verò ſic obligabitur is,

cujus votum authoritate legitimâ prælati Ecclesiastici commutatum est.

Quærit tandem ultimò, an factâ legitimâ Commutatione, voventi sit integrum, & licitum redire, & adimplere votum prius emissum?

Videtur quòd non, quia juxta dicta, per legitimam à Prælato potestatem habente commutationem, obligatio & vinculum quoad præcedentem materiam omninò extinguitur, nec reviviscit; ergo absque novo voto non poterit ad illius obligationem esse reditus, cùm tamen obligatio sit de essentia voti. 2. Et singulariter si commutatio sit facta in æquale (& à fortiori si in majus bonum) cùm juxta sententiam supra allatam, non valeat commutatio in æquale propriâ authoritate facta, nec licebit redire ad pristinam materiam æqualem, minùs ad minorem; quia hoc ipsum esset quædam commutatio imò dispensatio. 3. licet cōmutatio fiat in favorem voventis, & hinc illum non magis gravare debeat, hincque possit vovens suo favori renuntiare; id tamen tantùm locum habebit, & sufficiet, si possit renuntiare, ante acceptatam conmutationem; quamquàm non possit illâ semel debitè factâ & acceptatâ. Quod confirmari potest, commutationibus inter homines factis, in rebus promissis. 4. Tandem quia per legitimam commutationem est jus acquisitum Deo, ad Cujus Dei majorem cultum spectare videtur perseve-

ſeverantia in re commutata, ob quam rationem etiam ſupra negavi, commutationem in æquale poſſe fieri propriâ voventis authoritate. Quæ argumenta, præſertim ſi materia ſubrogata ſit majoris bonitatis, & etiam in mea ſententia, ſi æqualis, nonnihil urgent. Attamen contra

Dicendum eſt, licitum eſſe voventi redire & adimplere prius votum. Et quidem, dum commutatio facta eſt in minus, nemo dubitat; cùm ab initio voventi ſit licitum, votum commutare in manifeſtè melius. Ratio ergo reſponſionis hujus, etiam dum commutatio facta eſt in æquale, vel majus eſt 1. authoritas externa, & quaſi unus Doctorum conſenſus. 2. præſumptio de benignitate Dei, quæ præſumptio fundatur aut colligitur ex eo, quòd commutatio cenſeatur facta in favorem ipſius voventis. Nam regulariter petuntur, ac fiunt ſimiles commutationes ex eo, quòd vovens ſentiat ſe gravatum priori voto, ac ſperet ſe promptiori animo, & meliori modo aliam, etiam meliorem materiam ſubrogatam, exequuturum; ergo Deus per ſuos Vicarios, pro ſua infinita benignitate, omni meliori modo cenſetur per talem commutationem proſpicere utilitati voventis, gravamen levare, eique favere; modus autem favorabilior & utilior voventi in hujuſmodi commutatione eſt, ſi habeat libertatem redeundi ad priſtinum votum, præſertim cùm homines ſæpiùs errent, & novissi-

vissima non prævidendo, decipiantur, judicantes hoc sibi utilius, aut id facilius se præstituros, cùm tamen non facilius præstent; ideo ne talis commutatio, quæ potiùs in favorem hominis fieri deberet, cedat illi in onus, judicandum est, similem commutationem fieri, cum libertate redeundi & adimplendi pristinum votum; accedit, quòd hoc ipsum cedat ad cultum Dei magis promovendum, dum sic ipse vovens liberiori, & hilariori mente, vota sua Deo reddere possit, & homines magis ad vovendum alliciantur. Hanc tenent quoad materiam æqualem *Soarez l. 6. de voto c. 20. n. 4.* quem sequitur *Filluvius tract. 26. c. 10. n. 289.* Et absolutè *Sanchez l. 4. in decal. c. 55. n. 26.* citans alios, *Less. l. 2. c. 40. dub. 16. n. 111. Lay. l. 4 tr. 4. c 8. n. 27. Castr. tract. 15. disp. 2. p. 18. n. 10. Tamb. l. 3. in Decal. c. 16. §. 7. n. 4.* Ad argumenta in contrarium

Respondeo ad 1. si quid probet, probat etiam, quòd non liceat redire, si commutatio facta est in minus, quod est contra omnes. Et clarum est, nam cur vovens pro libitu suo posset suum votum commutare in melius? & non posset ad prius votum melius redire? cùm obligatio & vinculum prius, saltem secundùm rectum perseverare censentur. Deinde dici potest; commutationem quoad hoc, & hunc eventum censeri ex benignitate Dei quasi conditionatam, scilicet nisi vovens velit perficere præ-

præcedentem materiam, quod ratio allegata probat; unde quoad talem eventum tantùm extincta censetur sub dicta conditione. Tandem transeat antecedens, cur autem non poterit vovens, cedendo favori suo quoad materiam subrogatam, de novo se obligare pristinæ? ad 2. patet satis responsio, & disparitas ex ipsa ratione pro sententia tenenda allata, quæ universaliter probat. Item patet ex responsione ad 1. quòd talis commutatio involvat quodammodò conditionem dictam, quæ non reperiretur ante commutationem. ad 3. nego id sufficere, & patet ex Regula Juris 61. *in. 6. ibi, quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*, Et quæso, quid esset favoris, si in donatione gratuita, donatarius non posset liberè, & licitè rem donatam sibi gravem, & onerosam abjicere. Nec est idem de promissione, & contractu oneroso, inter homines, factâ aliquâ commutatione; nam sicut benignitas Dei infinita est, ita infinities mitiùs cum hominibus procedit, quàm cum homine homo, qui sæpè alteri lupus esse solet; atquè exemplo confirmari potest, nam homini, cui res promissa debetur, non semper satisfiet dando aliam etiam meliorem; cùm tamen Deo supponamus sic semper satisfieri, propter infinitam ejus bonitatem, & perfectissimum velle; ergo simile argumentum ab imperfecto ad perfectissimum non debet urgere.

gere. Ad 4. dico iterum, perseverantiam illam vestientem, & magis cohonestantem rem illam subrogatam, in proposito non obesse, quia adest illa conditio supra dicta in commutatione inclusa; qualis non est in casu quæsito supra, & aliundè jam ostendi hoc non officere, sed potiùs conducere ad cultum divinum.

Dixi supra, dum citavi *Suarez*, quoad materiam æqualem; nam is, & post ipsum *Filliucius*, negat licitum esse voventi, redire ad pristinum votum, factâ semel legitimâ commutatione in melius, quia nempè talis cōmutatio non in voventis; sed ipsius Dei favorem & cultum cedit. Ad quod fundamē-tum, ut dicā, quod sentio. Judico responderi posse, quòd cùm regulariter commutatio in melius, fiat solùm, vel ab ipso vovente ea de causa, quia non potest aliter commutare, vel à Prælato habente solam potestatem cōmutandi, sine potestate dispensandi vel volente illâ solâ uti; quia vult magis reddi securus de æqualitate materiæ subrogatæ, ideo commutatio in meliùs directè per se, & formaliter, ac ex intentione commutantis cedit in favorem foventis; & ad summum ratione materiæ melioris, & materialiter, atque indirectè, & per accidens in favorem Dei.

Cui soli Honor & Gloria.

FINIS.

Drescher Josephus M. Bened.

Casus morales,
in quibus ea, quae ad votorum simplicium Essentiam, qualitatem, interpretationem pertinent.
Salisburgi.

Ex typogr. Joann. Baptistae Mayr.
1674.

16°. 16 k. n. – 267 str.
A–A5 – S–S5

Opr. skórk., na desce.

Drescher Josephus m. Bened.

Casus morales,

in quibus ea, quae ad votorum simplicium Essentiam qualitatem, interpretationem pertinent.

Salisburgi.

Ex typogr. Joann. Baptiste Mayer.

1674.

16° 16 k n. – 267 str.

A – 15 – 5 – 55

Opr. skórk na desce.